



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

Liber XCV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER XCV.



BENEDICTUS XII, TUM CLEMENS VI  
SUMMI PONTIFICES.

LUDOVICUS BAVARUS, DEINDE CARO-  
LUS IV OCCIDENTIS, ANDRONICUS III,  
DEIN JOANNES PALÆOLOGUS, &  
JOANNES CANTACUCENUS  
ORIENT. IMPP.

§. I.

*Barlaamus Papæ proponit modos re-  
ducendi Græcos ad Ecclesiam  
Latinam.*

**A**ndronicus Imperator Græcorum ad Sæcul. XIV.  
Papam Benedictum XII misit Bar- A.C. 1339.  
laamum Abbatem monasterii Sal-  
vatoris, & Stephanum Dandolum Nobi-  
lem

li 5

lem

**Sæcul. XIV.** lem Venetum ac Equitem: qui an. 1339  
**A.C. 1339.** delati Avenionem, & ad Papam Cardi-  
**Rayn. 1339.** nalesque admissi exhibebant Philippi  
**n. 19.** Franciæ ac Roberti Neapolis Regum e-  
**Allat. Conf.** pistolas inter alia indicantes, hos Andro-  
**p. 788.** nici Legatos venisse, ut agerent de Græ-  
 cis cum Ecclesia Romana denuo conjun-  
 gendis. Papa quærebat, an Imperator,  
 Patriarcha, & alii Primores potestatem  
 illis dedissent sufficientem, ut eis posset  
 haberi fides; nec simulatum esset id ne-  
 gotium, sicut fuisset Græcorum consensio  
 tempore concilii Lugdunensis. Cum Le-  
 gati habere se potestatem litteris tradi-  
 tam negassent; Papa tamen & Cardina-  
 les concordiae studio incensi ea, quæ illi  
 proponere vellent, sibi præberi scripto ju-  
 bebant, visuri, an utilitas inde aliqua ca-  
 pi posset.

**Sup. lib. 86.**  
**§. 4.**

**Rayn. n. 20.** Sic proin obtulit Barlaamus suum  
 consilium, cujus hæc erat summa: Duo  
 reconciliationis efficiendæ modi effingi  
 animo queunt, violentia & persuasio.  
 Prior plane omitti debet, ut vos ipsi fa-  
 temini. Posterior via est itidem duplex:  
 pro doctis altera, altera pro populo. Si  
 triginta vel quadraginta ex doctis viris  
 nostris Sanctitatem adirent tuam, certo  
 scio facillime sensuros tecum; quia sine  
 impetu ageres, & solam quærereres verita-  
 tem. Sed postquam nostri ad Ortum re-  
 diissent, nequirent adducere populum, ut  
 crederet,

crederet, quæ concessisses; darenturque homines, qui ex invidia, vel per vanitatem, aut forsitan ob falsam veri speciem ad eos dicerent: Fratres mei! cavete, ne fallamini! hos viros corrumpere munera vel blanditiæ: nolite consuetudines mutare vestras! Itaque viri docti, quibus convenisset tecum, nihil effectum darent, ac ipsi forent in discrimine.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1339.

En viam reducendi ad te populi una cum doctis! Audiit ille sex habita fuisse concilia generalia; & singula emendasse errores tunc implicantes Ecclesiam: ita sibi persuasum habet perstandum esse in eo, quod sit decisum per quoddam concilium generale. Siquid igitur modo celebretur de controversiis Latinorum cum Græcis, omnes ad Ortum populi libenter ea, quæ id statuerit, recipient. Est fortasse, qui dicat, hoc jam factum esse in concilio Lugdunensi. At ille sciat nunquam Græcis, ut id recipiant, communiter persuasum iri sine novo concilio: quia, qui Lugdunensi adfuere, Græci nec a quatuor Patriarchis, qui Ecclesiam Orientis regunt, nec a populo missi erant, sed ab Imperatore solo, qui conjunctionem cum Latinis non voluntariam, sed violentam conficere conabatur. Quapropter si generale hac de re concilium vis habere; primum ad Ecclesiam Orientis Legatos in Deum pios, modestiaque

ac

Secul. XIV.  
A. C. 1339.

ac patientia singulari præditos mitte cum epistolis, quibus Patriarchas Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, ac Hierosolymitanum, cæterosque Præfules invites, ut tecum conveniant in locum aliquem, ubi quæstiones tractentur suaviter, & quæ Spiritus Sanctus tibi fuggerit, decernantur. Hic solus est modus flectendi populum, ac Ecclesiam redintegrandi.

¶. 22.

Tum ad alia emolumenta veniens Barlaamus ajebat: Turcæ quatuor magnarum Anatoliæ urbium pridem Græcis ademptarum incolas ad religionem suam per vim adegerunt. Hi ad fidem sanam reversuri, Imperatori Domino meo curarunt dici, ut veniret cum exercitu: se has urbes ei tradituros esse. At ille suas solius copias Turcis impares ratus, nos ad Galliæ Regem misit hac de causa petituros auxilium. Jam vero si has urbes recepissemus, Turcæ maritimas vires suas omnes amitterent; cunctæ civitates inter illas & nos interpositæ se nobis dederent; & apertam haberemus viam ad terram sacram. Supplicamus itaque, ut in eos tractus ante Legatos tuos, vel saltem simul mittantur supplicatæ: quia si has coram cernerent Græci, illos audirent pronius; & Imperator Patriarchæ cæterisque Præsulibus posset dicere: Videte, quam boni homines sint Latini!

Latini! Amicitiam nostram non bellis tantum verbis, sed factis expetunt. Igitur & nobis curandum, ut cum illis redeamus in gratiam. Deinde, quamdiu Imperator cum Turcis bellum geret, haud congregare quatuor Patriarchas cæterosque Præfules, nec ipse interesse concilio poterit.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1339.

Aliqui Latinorum inquit: Græci concordiam nobiscum jungant! & tunc in Turcas ibimus. Illis Latinis assentire non possum multis ex rationibus. Et primum quidem Turcæ non solos invadunt Græcos, sed & Armenos, Cyprios, Rhodios nobis subjectos, cunctosque insulares: ergo iis saltem esse præsidio deberetis, o Latini! Deinde Turcæ Græcos impugnant, non ut Græcos, nec ut diffidentes a vobis, sed ut Christianos: igitur, dum movebitis in Turcas, non Græcos proprie, sed religionem tuebimini. Adhæc, quamdiu Græcum stabit Imperium, facillime Turcas profligabitis conjuncti Græcis Turcicum bellandi modum callentibus. In omnibus Turcarum & Saracenorum terris plurimi dantur Christiani, ac desertores fidei ad Græcorum dominationem perbene affecti. Si autem, quod avertat Deus, Turcæ Imperium Græcorum everterent, tantas acquirerent vires, quantas ægerrime frangeretis. Rem proinde modo

Sæcul. XIV. modo gerite; nec differte in tempus, quo  
A.C. 1339. vos bellum non illaturos Turcis, sed ab  
 his accepturos prævideo.

Præterea, si Turcæ vos orarent, ut  
 secum iniretis foedus ad obterendos Tar-  
 taros & Saracenos, benignis uterentur  
 auribus: quia cum Turcis confociati has  
 gentes melius, quam soli cunctas tres  
 nationes aggredere mini. Sic etiam jun-  
 cti cum Græcis Turcas facilius, quam  
 soli hos & illos oppugnabitis.

Insuper, ut sciatis rem certissimam,  
 Græcorum animos a vobis non tam dis-  
 crimen dogmatum alienat, quam odium  
 conceptum ex malis gravibus, quæ illis  
 Latini variis temporibus attulere, ac e-  
 tiamnum quotidie afferunt. Atqui,  
 priusquam hoc odium per grande quod-  
 dam beneficium tollatis, ne audiemini  
 quidem: tantum abest, ut fieri consensio  
 queat. Scitote demum me non a popu-  
 lo, sed ab Imperatore solo & occulte ad  
 vos missum esse; neque huic tantum a-  
 nimi fore, ut instaurandæ vobiscum con-  
 cordiæ desiderium declaret, antequam  
 subsidium a vobis obtinuerit.

Papa & Cardinales lecto ac diligen-  
 ter perpenso Barlaami consilio responde-  
 bant: Non expedit, ut videamur modo  
 in dubium revocare illud, quod Concilia  
 Ephesinum, Toletanum, Lugdunense, mul-  
 taque alia solenniter pronunciarunt, Spi-  
 ritum

ritum Sanctum procedere a Patre ac Filio tanquam unico principio: sicut Papæ Hormisdæ, Joannis Patriarchæ Constantinopolitani, ac Imperatoris Justiniani tempore professi diserte sunt Græci; & multo post alius Patriarcha Joannes, ac Imperator Michaël Palæologus per litteras synodicas ad Papam Joannem XXI missas.

Sæcul. XIV.

A.C. 1339.

Addenda venit explicatio. Concilium Ephesinum directo solum tractavit mysterium naturæ divinæ cum humana conjunctæ contra hæresim Nestorii; nec nisi per accessionem loquebatur de processione Spiritus Sancti propter nonum anathema S. Cyrilli; & propter falsum symbolum a Sacerdote Charisio denunciatum. Sat clare tamen ibi cernimus, S. Cyrillum, Conciliumque totum credidisse, Spiritum Sanctum procedere a Filio. Concilium Toletanum, de quo hic mentio fit, est tertium anno 589 celebratum; ubi primum invenitur adjunctio: *Filioque*. Papæ Hormisdæ ad Imperatorem Justinum epistolam anno 521 scriptam habemus in manibus, in qua expresse ait: Spiritus Sancti proprium est procedere a Patre ac Filio: nihil tamen moverunt Græci contra hanc loquendi rationem. Lugdunense concilium est illud, quod anno 1274 habebatur; ubi facta

*Sup. lib. 25.**§. 12. 56.**Lequien.**dissert. 1.**Damasc.**to. 5. Conc.**p. 1000.**Sup. lib. 34.**§. 56.**Sup. lib. 45.**§. 48.**to. 4. Conc.**p. 1553. B.**Sup. lib. 86.**§. 44.*

cta



Sæcul. XIV. Æta est reconciliatio per Michaëlem Pa-  
A.C. 1339. læologum.

*Rayn. n. 20.*

Imperatoris Andronici Legati audito  
Papæ responso dicebant: Si nequeat  
perfuaderi Græcis, ut symboli articulum  
profiteantur sicut Latini: in sua quisque  
fide persistat salva concordia. Respon-  
sum est: Id tolerari haud potest. Ec-  
clesia catholica unicam tenet fidem; at-  
que si errori non obsisteret, probare illum  
videretur. Veruntamen Papa consensio-  
nem reddere faciliorem semper cupiens  
ad Legatos ajebat: Vester Patriarcha, &  
Imperator Græcus in concilium vocent  
creditos Patriarchas Alexandrinum, An-  
tiochenum, ac Hierosolymitanum cum  
Episcopis, Clero, & primoribus laicis:  
ac eligantur quidam docti, qui huc in Oc-  
cidentem mittantur sufficiente cum po-  
testate, ut cum Legatis Sacræ Sedis ca-  
pita conferant non ad modum disputatio-  
nis, sed ut Græci erudiantur. At con-  
vocatio concilii generalis ob longum  
tempus, impensas, & labores, quos posce-  
ret, non videtur congruens, præsertim in  
his turbis bellisque. Barlaamus & a-  
lium offerebat libellum in hanc senten-  
tiam scriptum: Veritati, quæ manifesta  
habetur, officere examen adeo nequit, ut  
eam reddat evidentiolem: sicut odora-  
menta manibus attrectata suavius re-  
dolent. Patres Nicæni clare videbant  
natu-

n. 28.

naturam Patris & Filii eandem esse. Sed cum Ariani hac de re dubitarent, illi eam discutere voluerunt horum salutis gratia. In gloriam vobis cedit idem cum Græcis agere, nec his præbere ansam dicendi, vos examen metuere; quia causæ diffidatis vestræ. Ut ex Oriente mittantur Legati cum plena potestate Imperatoris & Patriarcharum, fieri sine miraculo haud posse videtur. Imperator animum redeundi vobiscum in gratiam non audet exponere: quia ex Optimatibus, quin etiam ex populo multi timerent, ne ipsos tractare vellet ut Michaël Palæologus; illumque necandi occasionem quærent. Præterea Constantinopolitana Ecclesia Nuncios hoc ad negotium non mitteret sine consensu reliquorum trium Patriarcharum: qui propter bella difficulter congregarentur. Incertum est, an venire vellent, & an consentirent in Nuncios suos mittendos: atque si hoc inter illos conveniret, plenam eis potestatem non facerent præterquam iis conditionibus, quæ vobis displicerent. Barlaamus addidit viva voce, se insuper habitis his cunctis difficultatibus concordiam fideliter curaturum. Sic Papam valere iussit rediturus in Græciam.

Is illi duo tradidit responsa ad litteras Regum Galliæ ac Neapolis, quas attulerat. Epistola ad Robertum 30 Augusti

Sæcul. XIV.  
A. C. 1329.

n. 31.

ap. Allat.  
de Conf.  
p. 788.

Histor. Eccles. Tom. XXIII. K k gusti

Sæcul. XIV.

A. C. 1339.

Rayn. n. 32.

37.

gusti an. 1339 exarata consistit in promisso ad eum dandi fusioem. Altera ad Philippum 4 Sept. scripta continet ea omnia, quæ hoc in negotio facta erant: exemplar ejus postea Regi Roberto misit. His in litteris, cunctisque in actis hanc rem contingentibus Andronicum nunquam nominat Imperatorem, sed tantummodo Moderatorem Græcorum, ut ne obesset juribus Catharinæ Curtinacensis, quæ se dicebat Imperatricem Constantinopolitanam: paremque ob causam de quatuor ad Ortum Patriarchis loquens ait: Illi, qui se nuncupant Episcopos Constantinopolis, Alexandriae, Antiochiæ, ac Hierosolymæ. Ducebat scilicet rationem Latinorum, quibus hos dederat titulos.

§. II.

*Albertus & Mastinus Scaligeri Veronæ  
Domini.*

Quidam tyrannorum Lombardiæ, ut dominationi suæ speciem juris darent, se Papæ submiserunt certis conditionibus, tributum annui inter alias: & acceperunt ab eo dignitatem Vicariorum Imperii, cujus administrandi jus tempore interregni Papa sibi arrogabat, tunc Imperium vacare perhibens. Sic in principatu

*J. Vill. l. II.  
c. 100.*

cipatu Veronensi confirmavit fratres Al-  
 bertum & Mastinum (seu Canem) Sca-  
 ligeros. Diploma in horum gratiam da-  
 tum 1 Sept. 1339 inter alias condiciones  
 statuit, ut Ecclesiæ Romanæ quotannis  
 tributi nomine pendant quinquies mille  
 florenos aureos.

Sæcul XIV.  
 A. C. 1339.

Sedes Veronensis vacabat a morte  
 Episcopi Bartholomæi Scaligeri, quem  
 post duos pontificatus annos Mastinus pa-  
 truelis suus peremit die Jovis 27 Aug.  
 1338. Mastinus Episcopum cum Vene-  
 tis ac Florentinis capitalibus inimicis  
 suis agere de adimenda sibi Verona, quin  
 etiam de se ipso per proditionem truci-  
 dando compererat: & habebat hujus  
 conspirationis indicia tum ex epistolis in-  
 ventis, tum ex authoribus idoneis, tum  
 ex sermonibus Præsulis, ea de re glo-  
 riantis, studentisque Veronenses ac exte-  
 ros eo adducere. Quapropter iræ im-  
 potens nihil opinantem antè fores domus  
 episcopalis invasit cum Albuino Scalige-  
 ro agnato suo, & multis vulneribus con-  
 fectum de medio sustulit.

Papa rem edoctus Patriarchæ Aquile-  
 jensi Veronæ Metropolitæ scripsit, ut  
 inquireret in authores cædis; ac decla-  
 raret eos in pœnas per canones statutas  
 incidisse. Paucis post diebus Veronensis  
 cathedræ collationem sibi reservavit,  
 prohibens, nequem Canonici Præfulem  
 K k 2 elige-

Sæcul. XIV. eligerent. Litterarum alteras 24 Sept.  
 A.C. 1339. alteras 28 ejusdem anno 1338 dabat.

Sed Collegium Calendis Septembribus  
 Episcopum cooptaverat: cumque is con-  
 firmationem obtinere haud posset; sedes  
 Veronensis annos quinque circiter va-  
 cavit.

*Rayn. 1339.* Interim Albertus & Mastinus Scali-  
*n. 67.* geri pactionem cum Papa suam confla-  
*Ughel. p. 861* verant: & Mastinus tam suo, quam Al-  
 buini nomine, ut a crimine suo absolve-  
 rentur, procuratorem peculiari potestate  
 præditum misit Avenionem: quo fontes  
 ipsi se conferre haud poterant sine vi-  
 tæ periculo. Audito Procuratore Papa  
 poenitentiae, quam duo nocentes signifi-  
 cabant, rationem habens Mantuanum E-  
 piscopum jussit eos absolvere, sed ea le-  
 ge, ut poenas darent sequentes. Octavo  
 post absolutionem die sola induti subucu-  
 la & aperto capite pedibus procedunt  
 a porta Veronæ, usque ad templum ca-  
 thedrale, tenentes manu suam quisque  
 accensam facem ceream sex librarum,  
 centumque similes sibi præferri curant.  
 Ad templum delati die dominica sacri  
 solemnibus hora offerunt tædas, & a Ca-  
 nonicis veniam sceleris sui petunt. In-  
 tra sex menses proximos eidem templo  
 donant argenteam SS. Virginis effigiem  
 triginta selibrarum, decem lucernas ar-  
 genteas, quarum singulæ tres selibras  
 pen-

pendant, reditusque necessarios ad oleum suggerendum perpetuo. Intra spatium anni eodem in templo constituunt sex beneficia, & unumquodque viginti florenorum aureorum proventu annuo instruunt. Anniversario Præsulis occisi die uterque poenitentium viginti quatuor pauperibus victum ac vestem præbeto; omnemque per vitam suam singulis diebus Veneris jejunium colito. In generali transitu ad terram sacram viginti equites armatos mittunt, ac per annum suis alunt sumptibus, si tunc vivant; sin minus, ante mortem suam hæredes suos adstringunt ad implendam hanc partem poenarum. Litteras dabat 22 Sept. 1339. Ego ibi propemodum nihil video, quod homines opulenti non possint exequi sine animi correctione.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1339.

Eodem anno prima Octobris Papa Veronæ instituit Universitatem, sed solum pro Jure, peritia medendi, & Artibus. Excepto Jure Canonico cur ad hæc studiorum genera Papæ autoritas opus fuerit, haud intelligo.

Ughel. p. 364

§. III.

*Gallicæ Rex decimas in profanos convertit usus.*

Francia & Anglia magis, magisque flagrabant bello: & Papa per epistolas

K k 3

&

Sæcul. XIV. & Nuncios suos frustra conabatur Reges  
 A. C. 1340. Philippum ac Eduardum reducere in  
 gratiam; Flandrosque ab hujus partibus,  
*Ragn. 1337. n. 7. &c.* & ipsum a fœdere cum Ludovico Ba-  
 1338. n. 54. varo avertere. Tandem Eduardus eo  
 1339. n. 6. usque processit, ut Gallorum Regis no-  
*Id. 1340. n. 7.* men & insignia sibi assumeret, nullam  
 ducens rationem Papæ rem dissuaden-  
 tis per litteras 7 Martii 1340 datas.

Hujus ad belli sumptus Rex Philip-  
 pus obtinuit a Papa decimas in biennium.  
 n. 18. Sed eas haud sufficere videns decrevit  
 eo impendere simul decimas ad bellum  
 n. 19. sacrum destinatas: de quibus ad Papam  
 scripsit in hæc verba: Præfules, cæteri-  
 que, e quibus nostrum constat consilium,  
 nobis omnes dixere, nos salvis legibus  
 posse has decimas insumere in regni no-  
 stri defensionem: quippe ad quam con-  
 tribuere aliquid subjecti nobis tam Ec-  
 clesiastici, quam homines profani de-  
 beant; cum de communi omnium emo-  
 lumento agatur. Idcirco, Pater Sanctis-  
 sime, tibi supplicamus, ut nos a decima-  
 rum usu ad petendam terram sacram, &  
 a jurejurando, quod nostro nomine hac  
 de re datum est, absolvas, cum hoc in  
 casu possis omnia. Si totam nobis sum-  
 mam condonare nolis, saltem restitutio-  
 nem differ in sexennium post bellorum fi-  
 nem. Dabat 20 Martii.

*Sup. l. 94.  
 f. 26.*

Papa

Papa sic respondit: Satis mirari haud  
 possumus, fuisse Præfules, aliosque pru- Sæcul. XIV.  
A.C. 1340.  
 dentes viros, qui affirmare tibi auderent,  
 te decimas tam pio fine collectas posse  
 salvo officio alios in usus convertere. Me-  
 minimus solennis juramenti, quod Legati  
 tui Papæ Joanni XXII dixerunt coram Car-  
 dinalibus, in quorum numero eramus, ac  
 præsentem magna Cleri & populi multitu-  
 dine. Atque dolentes audimus queri-  
 monias de te motas ob bellum sacrum,  
 cuius Dux esses tum declaratus. Que-  
 rela redundaret in nos ipsos, si pecunia  
 ad liberandam terram sacram collecta no-  
 stro ex consensu infunderetur in Christia-  
 norum sanguinem profundendum. An-  
 glorum Rex nobis aliqua in epistola jam  
 indicavit se fidentius educturum copias  
 in te suas, quippe in quo transmarini iti-  
 neris omitti culpa hæreat. Inde conji-  
 ce, quid dicerent alii, si te voti compo-  
 tem faceremus. Ad dilationem quod  
 attinet; considera, quando & quomodo  
 decimas restitueres: ac ex præteritis fu-  
 tura metiens vide, quid in casu simili an-  
 tecessores tui egerint; & quid eis in-  
 de contigerit. Dabat 2 Apr. 1340.



Sæcul. XIV.  
A. C. 1340.

§. IV.

*Petrus IV Arragonum Rex admo-  
netur officii sui.*

*Indic. p. 184.  
Baluz vit.  
to. I. p. 204.  
Rayn. 1340.  
n. 56.*

Rex Arragoniæ Petrus IV Officiosus postea cognominatus Alphonso patri suo successerat anno 1336. Mense Novembri anno 1339 Avenionem delatus apud Benedictum Papam Sardinia causa professus est clientelam. Hoc in itinere Principem adhuc juvenem admodum comitati erant Jacobus Majoricæ Rex, quasi Moderator suus, & Joannes Chimenefius Archiepiscopus Tarraconensis. Avenione commorantem Petrum prolixè Papa monebat de congruo agendi modo, de tractando regni clavo, ac præcipue de nimia libertate ibi ethnicis permiffa. In Arragoniam reversum ad memoriam monitionum suarum excitabat hujusmodi litteris: Ut multis ex Christianis terrarum tuarum incolis cognovimus; Judæi & Saraceni, quorum numerus ibi magnus est, in urbibus aliisque locis habuere domos separatas & muris cinctas, ut essent remoti a nimio cum Christianis commercio & familiaritate his periculosa. Verum hodie dilatant illas, vel omnino relinquunt: habitant promiscue inter Christianos; & interdum in eisdem ædibus:

ædibus : coquunt iisdem in furnis ; u- Sæcul. XIV.  
 tuntur eisdem balneis : & jungunt socie- A. C. 1340.  
 tatem offendiculis periculisque plenam.  
 Præterea Judæi synagogas, Saraceni de-  
 lubra condunt, & conservant media in-  
 ter domicilia Christianorum. Illis in lo-  
 cis Judæi evomunt atrociam in Christum  
 verba ; & Saraceni publicis Mahometem  
 laudibus efferunt : quas neutiquam tole-  
 rari voluit Concilium Viennense. Inte-  
 rea dum Christiani rei divinæ operam  
 dant in templis suis, quibus vicinæ qui-  
 busdam in locis sunt synagogæ, ac delu-  
 bra ; vel dum augustissima Eucharistia  
 defertur ad ægros, homines a sana fide  
 alieni cachinnos tollunt, vel aliis bacchan-  
 tur ludibriis. Oravimus vehementer,  
 ut omnes has res tam indignas abroga-  
 res : quod promisisti suaviter. Quapro-  
 pter id iterum te rogamus : & quo cele-  
 rius fiat, Tarraconensi & Cæsaraugusta-  
 no Archiepiscopis, ac Suffraganeis eo-  
 rum scribimus, ut te urgeant. Dabat 8  
 Jan. 1340. In adducendis ad veram fi-  
 dem Musulmannis Christianorum ditioni  
 obnoxiiis nihil curæ positum video, inte-  
 rea dum in Saracenos Asiæ & Africæ  
 bellum sacrum adornabatur ; & Viri A-  
 postolici tam longe mittebantur ad pro-  
 mulgandum Tartaris & Indis Evangelium.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1340.

§. V.

*Mauri exscendunt in Hispaniam.*

*Mariana*  
*lib. 16. c. 2.*

Duobus post mensibus Papa jussit in Hispania cani clasticum contra Mauros Afros anno priore illam ingressos hac occasione. Mahometes Granatæ Rex e stirpe Alhamaria se prementibus Christianorum armis obsistendo impar in Africam transiit imploratum opem Albohacemi Marochii Regis ex genere Merinorum, nisi Benimerinos dicere malis. Hic Princeps in Hispaniam copias misit duce filio suo Abumelico; qui fretum Herculeum trajecit sub finem anni 1332. Postquam per septem annos palmas de Christianis aliquas retulerat, in quadam suorum clade cæsus est anno 1338. Albohacemus filii jactura incitator totam per Africam misit viros magni inter Musulmannos nominis, sectæque suæ studiosissimos, qui ad tuendam & amplificandam majorum suorum religionem populos animarent. Erat pæne idem quod apud Christianos bellicum sacrum canere. Sic ille comparavit septuagies mille equites, & quadringenta peditum millia cum classe septuaginta triremium, ac mille ducentarum quinquaginta navium.

Tres

Tres Reges Hispaniæ scilicet Castell-  
 læ, Arragoniæ, ac Lusitaniæ junge-  
 bant vires, quas ethnicis opponerent: ac  
 Rex Castiliæ Alphonfus, cujus terræ ma-  
 ximo discrimini erant expositæ, per duos  
 Equites ad Papam missos flagitavit sub-  
 sidium. Is de consilio Cardinalium per-  
 misit, ut Castella, Arragonia, Navarra,  
 & Majorica piis concionibus stimulare-  
 tur sacrum ad bellum contra Reges Ma-  
 rochii & Granatæ triennio gerendum;  
 bonorumque ecclesiasticorum decimæ  
 colligerentur istis conditionibus. Inter  
 ris, quas Arabibus ademeritis, ajebat Pa-  
 pa, volumus templa cathedralia condi,  
 prout jufferimus perpensa locorum ratio-  
 ne & commoditate, Clerumque ibi secu-  
 larem institui. Collegiales, ut vocant,  
 aliæque minores Ecclesiæ constitui po-  
 terunt ex mandato Præfulum aliorum-  
 que, qui hoc habebunt jus. In locis  
 Maurorum ditioni ereptis, quæ una cum  
 Christianis incolunt, illis non licebit suæ  
 superstitionis causa adire Meccam, nec  
 Mahometis nomen contenta voce pro-  
 nunciare. Hic intelligo convocationem  
 ad preces. Diploma continuatur: Im-  
 peramus etiam, ut in Granatenfi regno,  
 cæterisque terris, quæ Maurorum jugo  
 liberatæ fuerint, Clero decimas & pri-  
 mitias, unde vivat, solvi curetis. Dabat  
 7 Martii anno 1340.

Ingens

Sæcul. XIV.

A.C. 1340.

Rayn. 1340.

n. 40.

n. 42.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1340.

Mar. 7.

Rayn. n. 43.

Ingens Albohacemi exercitus mensuratum quinque spatio in Hispaniam delatus prope Algeziram freto proximam convenit. Id factum culpa Gilberti Præfecti Classis Arragoniæ, qui simul universæ Christianorum militiæ navali præerat. Impar ferendis vituperiis, quod ethnicos transire siverit, eos invasit temere, victaque classe cæsus ipse fuit. Papa de hac re litteras ad Regem Castiliæ scripsit; ubi cum solatus eum & ad ponendam in Deo fiduciam hortatus esset, adjungit: Oramus, ut consideres, quanto pere Principis bellum adeuntis inter sit pacem habere domi, nempe in conscientia sua. Vide, an non pugnam in te ipso sentias ob concubinam tamdiu detentam non sine damno salutis & famæ tuæ; & an tuum non pungat animum ille Magister Ordinis Alcantarani, contemptis censuris ecclesiasticis a te peremptus?

Mar. c. 7.

Rayn. 1339.  
n. 77.

Is, de quo Papa loquitur, erat Consalvus Martinesius, qui anno 1338 magnam a Mauris victoriam tum reportaverat, cum Abumelicus necaretur. At postea proditionis accusatus est apud Regem Castiliæ: qui neglecta Papæ dissuasione obtruncatum comburi jussit. Papa in epistola sua pergit admonere Regem, ut removeat concubinam, & crimina sua expiet, prosperum belli successum a Deo

a Deo impetraturus. Dabat 20 Junii an. *Sæcul. XIV.*  
 1340. Die lunæ 30 Octobris commis- *A.C. 1340.*  
 sum est prælium prope Juliam Traductam  
 seu Tariffam, quam Marochii & Grana-  
 tæ Reges obsidebant. Copiis Christianis  
 imperabant Castellæ ac Lusitaniæ Reges  
 ipsi; qui primo diluculo sacra confessio-  
 ne perpurgati, divinoque refecti epulo  
 totum exercitum ad imitationem pieta-  
 tis suæ traxerant. Ægidius Alburnius  
 Archiepiscopus Toletanus aliis cum Præ-  
 sulibus Regi Castellæ aderat, nec in  
 pugna eum destituebat unquam. Qui-  
 dam Eques Gallicus jussu Papæ vexil-  
 lum sacræ militiæ ferebat. Eo die Mau- *J. Vill. l. II.*  
 ri Christianis victoribus cessere omnes: *c. 119.*  
 supra vicies mille partim ceciderunt in  
 acie, partim capti sunt una cum impedi-  
 mentis: immensa vis opum prædæ fuit:  
 & Albohacemus mox se recepit in A- *Marc. c. 8.*  
 fricam.

## §. VI.

*Bononiæ sub Papæ ditionem  
redit.*

Postquam Bononia Legatum Bertran- *Sup. lib. 94.*  
 dum Pojetum anno 1334 pepulerat: *§. 37.*  
 Papa Joannes XXII hanc in violentiam  
 inquiri curavit: sed rem persequi haud  
 potuit eodem anno mortuus. Successor *Rayn. 1337.*  
 ejus Benedictus XII mitiora cogitans *n. 29.*  
 Bertran-

Sæcul. XIV.  
A.C. 1340.

J. Vill. l. 10.  
c. 69.

Bertrandum Deucium Ebredunensem Archiepiscopum Bononiam misit ut internuncium, qui cives hortaretur, ut ad officium redirent suum. At hoc Præsule ludente operam, Papa, cum eos rite citasset, edidit litteras, per quas infirmans omnia Universitatis Bononiensis privilegia, Professores cum Academicis inde discedere sub anathematis poena, si non parerent, voluit: & cum Magistratibus præcipuos cives, inter alios Thaddæum Pepolum, tres intra menses coram se adesse jussit. Dabat 2 Januar. 1337.

Rayn. 1338.  
n. 30.

Sequente anno Avenionem missi Bononiæ Oratores in senatu publico implorata Papæ clementia urbem ac terram suam etiam in rebus profanis Romanæ Ecclesiæ fatebantur prorsus obnoxiam; nec Ludovicum Bavarum, nec ullum Imperatorem sine permisso Sacræ Sedis unquam eo receptum iri spondentes inter alia. Tabulæ datæ sunt Avenione 12 Oct. 1338: ac eodem die Papa Guignonem Germanofanensem suum internuncium jussit ire Bononiam, nomine Sacræ Sedis possessionem ejus capere, interdictum tollere, Universitatem, & pacem ecclesiasticam restituere. At obortæ difficultates novæ impedierunt pacti executionem.

Tandem

Tandem duodeviginti post mensibus  
 nempe 4 Apr. 1340 Bononia duos ad  
 Papam Oratores misit plena cum potesta-  
 te declarandi submissionem integram: o-  
 rabat, ut Administrator jurium Sacrae  
 Sedis designaretur Thaddæus Pepolus  
 jam auctoritatem in urbe præcipuam  
 habens: & promittebat fore, ut Papæ  
 quotannis octies mille florenos aureos no-  
 mine census solveret. Acceptis condi-  
 tionibus Papa Beltrarminum Comensem  
 Episcopum Bononiam misit ut Nun-  
 cium, qui Thaddæum Pepolum constitue-  
 ret urbis Rectorem in triennium. Man-  
 datum dedit 16 Maji.

Beltrarminus Paravicinus in diœcesi  
 Mediolanensi natus erat, doctissimus pro  
 illo seculo, & Azoni Pro-Comiti cha-  
 rissimus: qui per auctoritatem suam ef-  
 fecit, ut ille a cathedra Thietana ad  
 Comensem transfret 24 Novembris anno  
 1339. Cum huic Ecclesiæ anno unico  
 præfuisset: Papa Benedictus eum ad Bo-  
 noniensem transtulit 5 Sept. 1340: sed  
 ille possessionem ejus non adiit, nisi 1  
 Aug. 1344. Sic Papa compensavit viri  
 merita in reducenda urbe ad præstandam  
 Sacrae Sedi obedientiam.

Is erat quartus Episcopus, quem Bo-  
 nonia intra duodecim annos habebat.  
 Legatus Bertrandus Pojetus eo adveni-  
 ens hac in sede invenit Arnoldum Sabate-  
 rium

Sæcul. XIV.  
 A. C. 1340.

Id. 1340.  
 n. 59.

n. 60.

Ughell to. 5.  
 p. 308.

Id. to. 2. p. 29  
 Rayn. 1340.  
 n. 62.

Ugh. p. 128.



Sæcul. XIV.  
A.C. 1340.

rium Bononiensem, antea Meldensem  
Canonicum, qui in ejus urbis Antistitem  
electus fuerat anno 1322. Sed empti  
muneris convictum Legatus exauthora-  
vit an. 1329. Nihilominus eodem anno  
Papa illum Rejos in Provinciam transtu-  
lit: ac Ecclesiæ Bononiensi præfecit Ste-  
phanum Agonetum Gallum ex provincia  
Narbonensi, Parmensem Archidiaconum,  
facelli Pontificii Præfectum, ac Legati  
Cancellarium. Cum deformis, gibbus,  
& acerbis esset moribus, odium populi  
subibat: sed diem obiit post annos duos,  
Legatus in ejus locum suffici curavit Lam-  
bertum Pojetum nepotem suum Ca-  
durci natum: qui mense Octobri an. 1333  
inauguratus, anno proximo in seditione  
populi castro inclusus est una cum suo  
patruo; cujus imperiosus agendi modus  
æque ac peregrinorum Præfulum intro-  
ductio multum contulerat ad urbis re-  
bellionem. Lambertus liber patruum in  
Franciam secutus abdicavit dignitatem  
suam an. 1336: quam 5 Jun. 1337 Papa  
tribuit Alberto Acciajoto Florentino, e-  
lecto Episcopo Aptæ Juliæ in Provincia.  
Hic illam tenuit usque ad annum 1340,  
quo ei successit Beltrarminus.

*Sigon. de  
Episc. p. 171.*

*Baluz. vit.  
to. I. p. 728.*

*Rayn. n. 69.*

Multæ Lombardiæ urbes, quæ Ludo-  
vici Bavari & antipapæ partes suscepe-  
rant, sub ditionem Papæ Benedicti re-  
versæ miserunt Oratorem præditum ge-  
rendæ

rendæ rei potestate perscripta die lunæ Sæcul. XIV.  
A.C. 1340.  
tricesimo Octobris anno 1340. Subj-  
ciebant se illius imperio, quod attine-  
ret ad offensam, quam apud eum & Ro-  
manam Ecclesiam subiissent. Declara-  
bant se non credere, Papam ab Impera-  
tore posse de fastigio detrahi, & substitui  
alium; sed hanc propositionem habere se  
pro hæretica. Spondebant se nequam  
adhæsuras Ludovico Bavaro, vel schis-  
matico cuiquam: ac petebant veniam,  
quod illi & Matthæo Pro-Comiti gessis-  
sent morem, & antipapæ nuncios rece-  
pissent. Novariæ, Vercellarum, & Comi-  
cives se pariter submittebant per eun-  
dem Oratorem: censurisque omnes ex-  
solvebantur.

## §. VII.

*Altera Philippi Majoricani peri-  
clitatio.*

Vidimus Philippum Majoricanum a Pa-  
pa Joanne XXII postulasse copiam Sup. lib. 93.  
§. 55.  
observandi regulam S. Francisci ad litte-  
ram, ac repulsam tulisse. Duodecim post  
annis eandem permissionem a Papa Be-  
nedicto petiit: & quo facilius eam obti-  
neret, adhibuit commendationem Nea-  
politani Regis Roberti: cui Papa sic re-  
spondit: Quod noster antecessor post ple-  
nam in senatu deliberationem denegavit, Rayn. 1340.  
n. 65.  
*Histor. Eccles. Tom. XXIII.* L1 haud

Sæcul. XIV.  
A. C. 1340.

haud facile recognosci debet. Antecessores nostri rogatu Fratrum Ordinis plures ediderunt declarationes hujus regulæ; quarum aliquæ sunt positæ inter sanctiones authenticas. Si vero huic petitioni daretur locus: labaret earum auctoritas ac prorsus periret concordia inter Fratres Minores jam nimio plus diffidentes. Præterea Summa Sedes quatuor solum ratos habuit Ordines Mendicantium: & iste foret quintus, quem temporibus istis approbandum non ducimus. Philippus in supplice libello suo adjungit se videre res innumeras litterariæ observationi regulæ obstantes. Sed si eas removeremus, videremur forsitan magis favere huic Ordini novo, quam veteri pridem confirmato. Aliud insuper incommodum hinc eveniret, nam Ordinis hujus, aliorumque Fratres multi, quos emendare vellent sui Præsides, simularent se transire ad hunc Ordinem novum, & circumvagandi occasionem inde caperent.

Denique Philippus ipse odium sibi creat. Manifesto promovet ac defendit sectam Beguinorum: contra Papam Joannem, sedemque sacram multos mali exempli sermones palam habuit, qui eum in vehementem hæresis suspicionem vocant: nec audimus eundem poenitentiae signum aliquod edidisse. His  
cunctis

cunctis ex rationibus nequimus salvo of- Sæcul. XIV.  
A. C. 1341  
ficio annuere votis ejus: & tu gloriam  
maculares tuam, si talem hominem tuo  
in regno tolerares. Dabat 7 Aug. 1340.

## §. VIII.

*Mediolanum & Pro-Comites se Papæ  
submitunt.*

Sequente anno duo fratres Joannes ac  
Luchinus Pro-Comites, Matthæi filii  
cum Papa redierunt in gratiam. Lu-  
chinus a morte Galeatii sui fratris natu  
maximi possidebat Mediolanum: & Joan-  
nes episcopatum Novarinum tenebat  
ab anno 1329, quo eum a Papa Joanne  
obtinuit: postquam schisma, & acceptum Ughell. to. 4.  
p. 978.  
ab antipapa Cardinalis titulum deposue-  
rat. Hi duo fratres igitur ad Papam  
miserunt Guidolum Galicium civem Me-  
diolanensem, qui Bononiæ aliisque Lom-  
bardiaë urbibus illum reconciliaverat.  
Habebat perscriptam gerendi negotii po- Rayn. 1341.  
n. 20.  
Ughel. p. 300  
testatem: & nomine Joannis ac Luchini  
Pro-Comitum eadem Papæ promissa fa-  
ciebat: eandem submissionem declara-  
bat; agnoscens eum non posse gradu  
moveri ab Imperatore; ac spondens nun-  
quam adhæsurus Ludovico Bavaro, vel  
Imperatori alii per summum Præfulem  
non confirmato; Papæque & Cardinali-  
bus

Sæcul. XIV.A.C. 1341.

bus quinquages mille florenos aureos solutum iri ad compensandas omnes injurias per ipsos & familiam eorum impositas Papæ Nunciis ac Legatis. Denique fatebantur Imperium vacans, ut tum temporis, Papæ administrandum esse; atque ideo se cupere Mediolani & appendicum ejus regimen a Papa & Romana Ecclesia habere. Reapse Pro-Comitum, aliorumque parvorum Lombardiæ Principum parum intererat, Papæne an Imperatori verbotenus se subjicerent: dummodo possessis a se urbibus revera imperarent.

*Ughel. p. 305*  
*Rayn. n. 33.*

n. 26.

Post has declarationes ac promissa in senatu facta Benedictus Mediolani & appendicum ejus regimen omni cum jurisdictione ac plena cum potestate profana duobus fratribus, quamdiu viverent, concessit tanquam Ecclesiæ Romanæ Vicariis vacante Imperio: & ad redimendas culpas præteritas hanc Mediolanensibus poenam injunxit: Ad honorem S. Benedicti duo sacella, in templo primario alterum, alterum in æde S. Ambrosii constructis. In utroque diebus singulis Sacerdos peraget rem divinam: & quotannis triginta florenos aureos accipiet. Die S. Benedicti bis mille pauperes aletis, duodecim unciarum panem singulis largiendo. His conditionibus interdictum, cæteræque censuræ omnes sublatae

sublatæ sunt. Litteras dabat 15 Maji <sup>Sæcul. XIV.</sup>  
anno 1341. <sup>A. C. 1341.</sup>

§. IX.

*Quietistæ Montis Athonis.*

Abbas Barlaam Avenione rediens ve-  
nit Thessalonicam, ubi jam aliquot <sup>Sup. §. I.</sup>  
annos egerat. Acres ibi disputationes  
habebat cum Montis Athonis Monachis;  
qui perhibebant se precationis perfectio-  
nem eatenus promovisse, ut oculis cor-  
poreis viderent lumen, quod esset ipse  
Deus; & ad sublimem animi quietem  
pervenisse. Barlaam dicebat eos reno-  
vare hæresim Massalianorum Antiochiæ <sup>Sup. lib. 19.</sup>  
sub finem quarti seculi damnatorum: & <sup>§. 25. 26.</sup>  
illos vocabat Omphalopsychos, sive  
habentes animam in umbilico. Hujus  
objectationis fundamentum erat corporis  
partium situs, in quo se Quietistæ preca-  
turi ponebant, & quem Simeon Xero-  
cerchini intra Constantinopolim cœnobii  
Abbas sub medium seculum XI in qua-  
dam commentatione spiritali descripsit  
his verbis: Quando es solus tua in cel- <sup>Cave. p. 425.</sup>  
lula, januam claude, ac sede in angulo!  
Extolle mentem supra cunctas res vanas  
& instabiles: tum barbam pectori appli-  
ca: converte oculos & omnem cogita- <sup>Allar. de</sup>  
tionem tuam in medium ventrem tuum, <sup>Conf. p. 829.</sup>  
scilicet in umbilicum! Retine insuper  
L 1 3 tuam

Sæcul. XIV.  
A.C. 1341.

tuam respirationem etiam per nares: quære in thorace tuo locum cordis, ubi plerumque habitant omnes facultates animæ. Primum tenebræ ibi crassæ ac dissipatu difficiles erunt. At si perseveres, & hoc exercitium diu noctuque continues: experieris rem mirissimam, lætitiâ non interruptam. Etenim, ut primum animus invenit locum cordis: videt, quod nunquam noverat: videt aërem, qui est in corde: se ipsum videt lucidum & judicii plenum. Talem precandi methodum habebant hi Quietistæ, seu Hesychoastæ: nam & sic nuncupabantur.

Nic. Greg.  
lib. 19. hist.  
c. 1.

Caput illorum, quos Barlaam impugnabat, erat Gregorius Palamas. Hic & Drimyrus ejus socius dixerant a se suis oculis divinam conspici naturam. Ita coram multis loquentes audierat Nicephorus Gregoras, priusquam Barlaam in Græciam venit; videlicet ante annum 1328. Jam tum eos acriter reprehenderat, monueratque de hac re Magnum Logothetam, & quosdam Præsules doctos: qui, quod eam haberent pro hæresi Massalianorum, illum jussere hominum eorum societatem fugere. Palamas itaque Thessalonicæ commorans, Barlaamo illuc reverso asseruit hoc lumen divinum, de quo ageretur, apparuisse Sanctis plurimis, veluti Martyribus tempore infectionum,

Boiv. vita  
Ni. G.

Cantac. l. 2.  
c. 39. p. 332.

tionum, & S. Antonio Magno. Addebat: Ut rem altius & usque a primo exemplo repetamus: hoc lumen est idem, quod Apostoli transfigurato in Thabore Domino videbant, & cuius splendorem ferre non poterant. Igitur si adhuc imperfecti conspexere id lumen divinum & increatum: num mirum sit Sanctos divinitus illustratos id etiam hodie spectare?

Ad ea Barlaam, Quanta infulitas! exclamabat: in Thabore lumen increatum! Id ergo Deus est secundum te: nam nihil est increatum præterquam Deus. Itaque si hoc lumen nec res creata est, nec natura divina (nam *Deum nemo vidit unquam*) quid superest nisi ut duos adores Deos, verum omnium creatorem & invisibilem alterum; alterum aspectabilem, ut ais, nempe id lumen increatum? Ego vero nunquam patiar increatum dici quidpiam, quod non sit Deus.

Post hæc Barlaam Constantinopolim profectus, quæ contra monachos Quietistas scripserat, Patriarchæ Joanni Aprio tradidit, & ut is concilium congregaret, institit, errorum contra fidem eos ibi convicturus. Patriarcha accivit monachos Theffalonicæ agentes: & Imperator a bello rediens eodem tempore Constantinopolim advenit. Initio duas par-

Sæcul. XIV.  
A. C. 1341.

p. 333.

I. Jo. 4. 12.



Sæcul. XIV. A.C. 1341. tes ad silentium adstringere, ac reconciliare voluit. Sed rem non procedere videns, 11 Junii anno 1341 sinebat in S. Sophiæ templo haberi concilium: cui præsidebat cum Patriarcha Joanne, Episcopis, Senatoribus, multisque Viris in dignitate positis. Barlaam ut actor loqui prior jussus; nec nisi lumen in Thabore ac precatio tractata; & ille in utraque materia damnatus est: quod moleste ferens se submovit, atque in Italiam rediit.

## §. X.

*Mors Andronici. Joannes Palæologus Imperator.*

Andronicus jam male habens huic concilio ægre interfuit: & ibi tanta cum vehementia dixit, ut aucto hinc morbo quatruido post extinqueretur, nimirum die Veneris 15 Junii anno secundum Græcos 6849, secundum nos 1341: vixerat annos quadraginta quinque; regnaverat duodecim. Is fuit exitus Andronici Palæologi Junioris. Duos filiolos, Joannem annos novem natum, & Michaëlem quadrimum, Imperatrici Annæ ipsorum matri educandos reliquit.

Tum Patriarcha Joannes Aprius ad rerum administrationem aspirabat ob scriptum

*N. Greg.  
l. 12. c. 2.*

*n. 5.*

scriptum Imperatoris Andronici quondam bellum adituri manu confectum & imperans, ut cum præsens sibi Episcopis curam Imperatricis conjugis ac liberorum ejus gereret. Æquum enim, aiebat Aprius, & opus est Ecclesiam Imperio, velut animam corpori conjunctam esse.

At Magnus Domesticus Joannes Cantacuzenus contendebat, ætatis tenellæ Principum tutelam curamque Imperii ad se pertinere. Nemo ignorat, inquiebat, Imperatorem mihi permagnam negotiorum partem commisisse, tantamque in me posuisse fiduciam, ut mihi ornamenta dedisset imperatoria, si voluissim accipere, ac secum regnare me jussisset. Imperatrix Anna testabitur eum sæpius postulasse, ut post suam mortem res familiæ suæ ac Imperii curarem. Scriptum, quod Patriarcha nunc exhibet, erat cautio ad tempus adhibita, ut aliquis auctoritate præditus Constantinopoli superesset interea, dum militiam cum Imperatore sequeretur. Patriarcha tum quidem vincebat, manebatque apud Imperatricem, ut consiliis eam juvaret suis. Cantacuzenus tamen neutiquam cedens jure suo potentes habebat partes: seque retroactum cernens pro sua securitate assumenda sibi ornamenta censuit imperatoria: ut fecit die S. Demetrii 26 Octobris. Sed

L 1 5 volebat

Sæcul. XIV.

A. C. 1341.

Cantac. l. 3.

Nic. c. 3.

c. 4.

c. 12.

Cantac. l. 3.

c. 27.

Sæcul. XIV. volebat tantum esse Collega & defensor  
A. C. 1341. parvuli Imperatoris Joannis.

*Nic. c. 12.* Patriarcha re comperta efferbuit in  
*n. 4.* Cantacuzenum, aperte dicens hanc per  
 actionem patere diu velatum ejus ani-  
 mum occupandi clavum Imperii: atque  
 ut suæ pusilli Principis tutelæ authorita-  
 tem adjungeret, eum coronare statuit.  
*c. 13.* Nec festum pro more diem expectabat:  
*Cant. l. 3.* sed præpropera festinatione illi coronam  
*c. 36.* imposuit 19 Nov. 1341.

## §. XI.

*Errores Armenorum.*

*Rayn. 1341.* Rex Armeniæ Leo ethnicorum ex vi-  
*n. 49.* cinia suum in regnum identidem in-  
*Vading.* cursantium violentia fatigatus, duos  
*eod. n. 1.* ad Papam Benedictum Legatos misit:  
 quorum prior erat Daniel ex Ordine Mi-  
 norum, Ministri Generalis per Armeniam  
 Vicarius, & ibi natus. Opem poscenti-  
 bus Papa respondit: Cum dolore audi-  
 vimus, in majore minoreque Armenia  
 permultos esse, qui erroribus contra fi-  
 dem teneantur, eosque doceant. Si re-  
 latio esset vera: decenter haud possemus  
 Armenis succurrere. Rei enodandæ  
 gratia, & ut nostro muneri fieret satis,  
 instituendam curavimus inquisitionem  
 judicariam: auditi testes plurimi: mon-  
 strati

strati nobis libri Armenis familiarissimi: Sæcul. XIV.  
 ac hi errores manifesto comperti sunt. A. C. 1341.  
 Sic Papa scripsit Regi Leoni, misitque  
 commentarium errorum, de quibus erat  
 quæstio.

Simul ad Catholicum seu Patriar-  
 cham Armenorum similem dabat episto-  
 lam, ubi addebat: Convoca, sic oramus,  
 concilium! ibi hos errores damnari cu-  
 ra, & præcipi, ut puritatem fidei talem  
 doceantur Armeni, qualem Romana tra-  
 dat Ecclesia. Et his erroribus penitus  
 extirpandis utilissimum fore creditur, si  
 concilium vestrum imperaret, ut vestri  
 Præfules & Clerus libros decretorum, de-  
 cretalium, canonumque Ecclesiæ Ro-  
 manæ habeant, ut melius noscerent fi-  
 dem ac disciplinam ejus. Hic videmus  
 clarissime, quanto tunc in pretio fuerint  
 decretum Gratiani ac decretales. Papa  
 pergit: Persuasum nobis habemus, si er-  
 rores hi abessent, inimicos fidei vobis  
 haud superiores fore. Expediret deni-  
 que, si Concilium ad nos mitteret viros  
 doctos, ac religionis studio flagrantes,  
 quibuscum possemus colloqui de his ma-  
 teriis: atque si videretur nobis, tales e-  
 tiam homines ad vos legaremus. Epi-  
 stolam utramque dabat eodem die 1 Aug.

1341.

Libellus errores Armenorum conti- *Rayn. n. 48.*  
 nens hunc fere in modum sonat: San-  
 ctus

n. 46. 47.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1341.

ctus Pater noster Papa Benedictus XII, cum, sicut pridem antea Joannes XXII, varios in Armenia errores contra fidem tradi comperisset, accitos ad se complures Armenos, & quosdam, qui in Armenia fuerant, Latinos partim sibi, partim Bernardo Cardinali de S. Cyriaco jurare voluit de veritate testimonii, quod dicturi essent. Per interpretem quærebatur ex iis, qui Armeniacam solum sciebant linguam: quidam libri, quibus passim utuntur Armeni, ostensi Papæ sedulo discutiebantur: & hac ex disquisitione per Notarium Apostolicum scripto tradita conficitur, Armenos credere ac docere has propositiones. Sequuntur centum septendecim. Illas, quæ mihi majoris esse ponderis videntur, habe!

art. 3. 4. 20.  
21. 25. 28.

29.

34. 35. 36.

38. 39.

Armeni accedunt hæresi Eutychetis, & ajunt in conceptione Christi naturam humanam conversam esse in divinam: sed Deum pro voluntate sua fuisse visum habere corpus humanum, etsi non habuerit. Cunctas hujus doctrinæ consecutiones admittunt, in Christo divinam tantum naturam dari, ac esse mortuam. Aspernantur Chalcedonense concilium, quasi primorum fidem seculorum corruperit; ideoque ut sanctum honorant Dioscorum ibi damnatum: Papam vero S. Leonem, ac Ecclesias Romanam, Græcamque condemnant: suam duntaxat esse

esse veram, in sua sola noxarum veniam Sæcul. XIV.  
 impetrari perhibent. Idcirco ex aliis A.C. 1341.  
 Ecclesiis advenientes externos baptismo  
 iterum aspergunt.

Pervertunt administrationem Sacra-  
 mentorum. Plerique aquam, non tamen  
 nulli vinum vel lac ad baptismum adhi-  
 bent: nec infantem lustrali bene tinctum  
 lavacro putant, ni simul unctioem Chris-  
 matis ac Eucharistiam accipiat. Viden-  
 tur ignorasse tunc Latini, per multa se-  
 cula etiam infantibus continenter collata  
 esse tria Sacramenta Baptismatis, Con-  
 firmationis, ac Eucharistiæ: atque hinc  
 fortassis provenit error, per quem etiam-  
 num negant Armenos ministrare unctio-  
 nem Chriſmatis. Etenim generatim  
 Scholastici nostri in antiquitate, aliarum-  
 que Ecclesiarum consuetudinibus rudes  
 ac hospites de Sacramentis non differe-  
 bant nisi ex præſenti more suarum Eccle-  
 ſiarum. Forſan etiam Armeni & horum  
 interpretes non clare loquebantur noſtra-  
 rum Scholarum ſtylo inaffueti. Qua-  
 propter doctis Theologis relinquo perqui-  
 rendum, an pleræque iſtarum objectio-  
 num fundamentis ſolidis nitantur.

Duo tamen puncta, de SS. Eucharis-  
 tia ſunt memorabilia. Et primum qui-  
 dem merito vituperantur Armeni, quod  
 contra morem omnibus Eccleſiis jam in-  
 de a principio Chriſtianæ fidei commu-  
 nem

63.

37. 71.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1341.

nem non mittant aquam in calicem. Rationem reddunt istam, quod aqua e latere Christi profluens soli Baptismo vim tribuerit : & hinc inferunt eos, qui vinum aqua misceant in sacrificio, virtutem baptismatis amisisse. Deinde in hac inquisitione Armeni accusantur, quod non credant conversionem panis & vini, dicantque Sacramentum altaris non esse verum Christi corpus, sed hujus figuram tantum. Hic error sine dubio singularis quorundam erat, vel consecutio erroris Eutychetis, qui Christum habuisse verum corpus negans id agnoscere in Eucharistia non poterat. Nam aliunde certum est ante seculum decimum quartum, & inde usque ad hanc diem Armenos cum aliis Christianis semper credidisse veram Christi præsentiam.

*Arnaud.*  
*Perpet. l 5.*  
*c. 6. 7. 8. 9.*

*art. 7. 8. 9. 10.*  
*11. 12. 14. 15.*  
*17. 18. 19. 22.*  
*23. 24. 104.*  
*105. 106. 111*

*a. 99.*

Multa, quæ Papæ libellus continet, puncta non tam sunt errores contra fidem, quam ineptæ fabulæ de animarum reditu in corpora, de judicio extremo, de inferis, de paradiso terreno aut cœlesti, de statu animarum post obitum, de dæmonibus, aliisque quibusdam materiis. Ad historiam illius temporis pertinent querimonia sequens : Venerunt in Italiam Episcopi Armeni, qui se per Saracenorum violentiam depulsos de suis Ecclesiis Archiepiscopos esse, tametsi Armenia nullum habeat, mentiuntur, ut Religiosis

giosis Mendicantibus episcopatus vendant. Sic multi magnas exegerunt pecunias; & multis diaconatum ac sacerdotium pro pecunia contulere in curia Romana. Exagitant tamen Armenos Romanum in Baptismate ritum, Romanam tenentes fidem.

Sæcul. XIV.

A. C. 1342.

§. XII.

*Mors Benedicti XII. Clemens VI  
Papa.*

Sequente anno 1342 Papam Benedictum XII vetus in cruribus malum, unde manantem plus solito humorem sistere volebant Medici, & quædam symptomata consumpsere die S. Marci 25 Aprilis: postquam federat septem annis, quatuor mensibus, sex diebus. Humatus est in cathedrali templo Avenionensi; ubi sepulchrum ejus etiamnum visitur. Plurima reliquit scripta; quorum pars maxima non est subjecta prælo.

*Baluz vita  
to. 1. p. 220.*

*336. 797.*

*Papeb. con-  
nat. p. 53.*

*Rayn. 1342.*

*n. 4.*

Sacra Sedes undecim solum dies vacabat. Nam 7 Maji electus est Petrus

*Cave. app.*

*p. 21.*

Rogerus Cardinalis de S. Nereo, ac sese dixit Clementem VI. Sub annum 1292 nobili ex familia natus in arce Malomontana dioeceseos Lemovicensis patrem habuit Petrum Rogerium Roseriæ Dominum. Decem annorum puer erat, cum venit

*Bal. p. 243*

*280. 289. 835*



Sæcul. XIV.  
A. C. 1342.

venit in Arvernianam abbatiam nomine Casam Dei. Amplexus ibi regulam S. Benedicti, & postea Parisios ad studia litterarum missus evasit Doctor Theologiæ annum agens tricesimum. Per Cardinalem Petrum Mortemarum, cui loco filii erat, ad Romanam curiam, nempe Avenionem accersitus a Papa Joanne XXII Nemosensem prioratum ad S. Baudelii, tum rogatu ejusdem Petri plurimumque Cardinalium abbatiam Fiscaninam, deinde Attrebatensem episcopatum obtinuit. Quo munere fungentem Rex Philippus Valesius suum in consilium senatumque supremum admisit, & signorum regionum Custodem fecit. Postquam Guilielmus Melodunensis 27 Oct. 1329 obierat, cooptatus in Archiepiscopum Senonensem, jura Cleri defendit contra Petrum Cuniarium. Decimo quarto Decembris anno 1330 Rothomagum translatus fuit, cum esset Parisiis Sorboniæ domus Provisor: ut apparet ex litteris publicis anno sequente scriptis. Denique a Papa Benedicto XII sacram accepit purpuram mense Decembri 1338.

Gall. Chr.  
to. 1.

Sup. lib. 94.

§. 3.

Bal. p. 836.

Duboulai

p. 230.

Sup. lib. 94.

§. 61.

Benedictorebus humanis erepto Cardinales numero septendecim in Avenionensi palatio die dominica 5 Maji an. 1342 conclave ingressi, die Martis septima mensis in vigilia Ascensus Domini elegerunt Petrum Rogerium, Die Pentecostes

costes 19 ejusdem mensis in templo Do-  
 minicanorum coronatus est magna cere-  
 monia : cui aderant Joannes Dux Nor-  
 manniæ, Gallorum Regis filius natu ma-  
 jor, Jacobus Borboniæ, Philippus Bur-  
 gundiæ Duces, Humbertus Delphinus  
 Viennensis, plurimique Franciæ ac Vas-  
 coniæ Optimates. Papa Clemens tunc  
 annum agebat quinquagesimum. Mox  
 scriptam 21 Maji epistolam, suæ dignita-  
 tis & impositæ sibi coronæ indicem, ad  
 Regem Philippum Valesium aliosque Prin-  
 cipes Christianos, & similem ad Præfules  
 pro more circummisit.

Sæcul. XIV.  
 A.C. 1342.

p. 853.

Rayn. 1342.  
 n. 7.

Hoc anno Nuncios, qui consilia pa-  
 cis Franciam inter & Angliam agitent,  
 & Flandros ad Regem Philippum redu-  
 cerent, atque Legatum Lombardiam pa-  
 caturum misit: sed præter aliquas iadu-  
 cias nihil uspiam effecit. In exordio sui  
 pontificatus edidit litteras, quibus gra-  
 tias spondebat cunctis Clericis pauperi-  
 bus, qui se duos intra menses sisterent:  
 & Avenionem venerunt tanto numero, ut  
 centies mille recenserentur. Eodem  
 tempore multas præfecturas sacras &  
 abbatias reservavit, collegiorum, cœno-  
 biorumque electiones pro nullis habens:  
 & cum essent, qui dicerent, non sic egis-  
 se antecessores ejus, respondisse dicitur:  
 Nostri antecessores nesciebant agere  
 Papas.

n. 12. 16.

Bal. p. 284.  
 311.

§. XIII.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXIII.

M m

Sæcul. XIV.  
A.C. 1342.

§. XIII.

*Papa creat Cardinales.*

**D**ie Veneris 20 Sept. 1342 Papa Clemens VI declaravit decem Cardinales. Primus erat Elias Nabilanius dioceseos Petrocoricensis ex Ordine Minorum, tunc Nicosiæ in Cypro Archiepiscopus, Cardinalis de S. Vitale. Paulo ante Papa eum dixerat Hierosolymæ Patriarcham honorarium, postquam Petrus Delapalus decesserat ultimo Januarii hoc anno 1342. Diploma collati hujus muneris Papa 12 Julii dedit; ac simul Fratri Eliæ conservavit Ecclesiæ Nicosianæ administrationem, ut is haberet, unde viveret. Sub idem tempus Rex Neapolis Robertus a Sultano Ægyptio impetravit, ut duodecim Fratres Minores Hierosolymæ ad templum sacri sepulchri semper habitare possent, divinum ibi officium peragendi gratia: ut docent duo Papæ Clementis diplomata scripta 30 Nov. 1342: illumque locum Minorum Ordo etiamnum tenet.

p. 244. 285.  
836.  
Vad. 1342.  
n. 4.  
Reg. p. 265.  
Labbe  
script. to. 2.  
p. 209.

Vad. ib. n. 17

Bat. p. 245.  
286. 837.

Secundus Cardinalis erat Guido Bononiensis Lugduni Archiepiscopus, nobilissimo genere ortus, Roberti Bononiæ & Arvernæ Comitis, Mariæque Flandricæ filius. Cum in juventute sua egisset Ambia-

Ambianensem Canonicum, sedem Lugdu-  
 nensem obtinuit anno 1340; modo ut  
 Cardinalis templum S. Cæcilie. Ter-  
 tius, Emericus Chastelius ex diocesi Le-  
 movicana. Primum ibi Canonicus ca-  
 thedralis templi, postea Ultra Viennensis  
 in Ecclesia Turonensi Archidiaconus,  
 celebrer Doctor Juris, & diu Auditor pa-  
 latii Apostolici fuit. Anno 1322 Papa  
 Joannes eum fecit Ravennæ Archiepis-  
 copum, & Romandiolæ Governatorem,  
 ac decem post annis eundem evexit ad  
 sedem Carnutensem: quam is tenebat,  
 dum per Clementem VI designatus est  
 Cardinalis Presbyter de S. Martino in  
 Montibus.

Quartus, Andreas Ghinus Malpilius  
 Nobilis Florentinus passim vocatus Car-  
 dinalis de Florentia. Primum Regi Ca-  
 rolo Pulchro ab epistolis, & Canonicus  
 Tornacensis fuerat. Deinde anno 1330  
 evasit Episcopus Attrebatensis; eodem  
 que anno Parisiis instituit & dotavit Col-  
 legium Lombardorum: sic enim diceban-  
 tur Itali. Anno 1334 translatus est Tor-  
 nacum, cujus Episcopus erat, cum Papa  
 Clemens eum decrevit Cardinalem Pres-  
 byterum de S. Susanna. Decrevit autem  
 rogatu Talerandi Cardinalis Petrocori-  
 censis, Regisque Philippi Valesii. Quin-  
 tus, Stephanus Albertus Lemovix, an-  
 tea Episcopus Claromontanus, modo

M m 2 Cardi-

Sæcul. XIV.

A.C. 1342.

Ughel. to. 2.

p. 383.

Bal. p. 844.

J. Vill. l. 12.

c. 7.

Duboulay.

to. 4. p. 225.

Gall. Chr.

to. 3. p. 1071.

Sæcul. XIV. Cardinalis Presbyter de SS. Joanne ac  
A. C. 1342. Paulo postmodum Papa Innocentius VI.

Bal. p. 245. 286. 845. Sextus, Hugo Rogerius frater Papæ  
 Clementis VI. Puerulus jam missus e-  
 rat pro more illius seculi Tutelanum in  
 cœnobium, antequam id fieret sedes e-  
 piscopalis. Abbas postea Angeriensis;  
 & 18 Julii anno 1342 Tutelanus Episco-  
 pus renunciatus est. At cum consecra-  
 tus non fuerit: res tantum eo serviebat,  
 ut appellaretur Cardinalis Tutelensis. Ti-  
 tulum ei præbuit ædes S. Laurentii in  
*Damasco.*

p. 849.

Septimus, Ademarus Robertus ex ve-  
 terrima Lemovicensis familiæ nobilitate  
 clarus, Doctor Juris, & tum Sacræ Se-  
 dis Notarius, Cardinalis Presbyter de  
S. Anastasia. Octavus, Geraldus Gar-  
p. 852. dius itidem Lemovix, & Papæ propin-  
 quus. Ordini Dominicano nomen dede-  
 rat in monasterio Brivensi: cui præfuit  
 anno 1323. Theologiam & ibi, & Pari-  
 siis docuit: agebatque Magistrum Ordini-  
 nis Generalem, quando nuncupatus est  
 Cardinalis Presbyter de S. Sabina.

p. 853.

Nonus, Bernardus Turrius ex Arver-  
 nia, tunc Papæ Hypodiaconus. Cum il-  
 lius nepos hoc ipso anno duxisset neptem  
 Papæ, in gratiam conjugum is illum  
 creavit Cardinalem Diaconum de S. Eu-

p. 854. 857.

stachio. Decimus, Guilielmus Jugius in  
 dice-

diocesi Lemovicana natus; Juris civilis Sæcul. XIV.  
 Doctor; & filius sororis Papæ: qui eum A.C. 1342.  
 nominavit Cardinalem Diaconum de S. Maria in Cosmedin. Ecce novem Cardi-  
 nales Gallos, & unum Italum, sed Fran-  
 ciæ municipem.

§. XIV.

*Concilia Londinensia.*

Joannes Stretfordius Archiepiscopus  
 Cantuariensis hoc anno 10 Oct. Lon-  
 dini Concilium provinciale habuit, in quo  
 duodecim edebat canones. Primus est  
 hujusmodi: Sacrificia non fiant in facel-  
 lis domesticis sine Episcopi permissione;  
 neque hic eam faciat præterquam Nobi-  
 libus, quorum sedes nimium distat a tem-  
 plo parœciæ. Canones complures ten-  
 dunt ad constringendas Archidiacono-  
 rum, ac pendentium ab eis Judicum ex-  
 actiones pro testimoniis scriptis, pro con-  
 fectis litteris, pro data possessione, pro in-  
 sinuationibus ac executione testamento-  
 rum, pro bonorum indicibus & orationi-  
 bus initis, pro inspectionibus parœcia-  
 rum, pro epulis in natura vel pecunia.  
 Hæc omnia immensam indicant avari-  
 tiam. Judices plane studebant sessiones  
 suas habere in locis, ubi vix dabantur res  
 ad vitam necessariæ. Ducebant secum  
 agmen apparitorum peditum equitum-  
 M m § que

to. II. v. 1876

2.3.6.7.

8. 9.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1343.

a 10.

p. 1886.

c. 4. 5. 6.

10.

que duntaxat spolia quærentium. Postquam jussere solvi mulctam pro peccato manifesto, exigebant alteram pro lapsu iterato. Sic exercebatur jurisdictio ecclesiastica, cujus adeo tenax erat Clerus.

Idem Archiepiscopus sequente anno die Mercurii post festum S. Eduardi Martyris, nempe vigesimo Martii an. 1343 ante Pascha, in tertium decimum Aprilis incidens rursus Londini celebravit concilium. Aderant undecim cum Metropolitana Episcopi, & absentium Procuratores. Septendecim canones ibi promulgabantur contra multas res indignas, in quarum numero sequentes noto. Adhibebantur fraudes variæ, ut ne decimæ solverentur. Bona in templis aut cæmeteriis ante aras, cruces, imagines, vel reliquias posita subtrahebant laici, & in usus placitos convertebant: quin multa erant loca, ubi hoc in consuetudinem abierat. Vetus obtinuerat pietas, ut, cum vitam posuisset aliquis, cognati, amici, & alii Christiani vigilarent circa cadaver, & noctem precando traducerent. Sed hæc nocturna conventicula erant versa in oblectationem ac petulantiam, in occasionem libidinum & furtorum. Quapropter concilium illa omnibus interdicat, præterquam cognatis & amicis, qui psalmos dicere pro mortuis velint. A  
longo

longo tempore, quoties proscripti manebant contumaces, Episcopi solebant petere, ut illi in carcerem mitterentur. At interdum hi captivi, cum se satisfacturos Ecclesiæ præde dato promitterent, a Rege impetrabant mandatum, ut libertatem reciperent: quod tanquam erratum grave conqueritur concilium.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1343.

§. XV.

*Indulgentia prius in centesimum quemque annum constituta decernitur in quinquagesimum.*

Cunctis a Regibus gentibusque venerunt legationes ad novum Papam Clementem, sed solemnissima Romano a Bal. p. 286. populo, qui misit duodeviginti cives suos, 913 sex de quovis statu, de summo, medio, & infimo. Tria potissimum postulabant: & primum quidem, ut acciperet munera Senatoris, Ducisque, & alias dignitates urbanas, quas ei offerebant per vitæ spatium tenendas, nec tanquam Papæ Clementi VI, sed ut Domino Petro Rogerio. Deinde, ut & Romam, & templum Lateranense omnium præstantissimum, & suam sedem adiret post tam longam Paparum absentiam. Postremo, ut noxarum veniam per Bonifacium VIII anno centesimo junctam annecteret quin-

M m 4 quage-



Secul. XIV. quagesimo, cum paucissimi homines an-  
A.C. 1343. nos centum viverent.

J. Vill. l. 12.  
c. 10.

Extrav.  
com. de pœn.  
c. 2.

Sup. lib. 89.  
§. 69.

Levit. 25.  
v. 10.

Ad petitionem primam Papa reposuit se Romanas dignitates accipere ea conditione, ut ne sibi officerent. Et vero vix cohærebant summa cum potestate: ut jam observavimus. Ad alteram respondit, se ire Romam, ut maxime cuperet, tum quidem haud posse. Sed tertiam ratam habuit, ediditque diploma, cujus initium *Unigenitus*, & summa hæc erat: Dei Filius immensum nobis meritorum thesaurum comparavit (cui accedunt Beatissimæ Virginis & omnium Sanctorum merita) & hujus thesauri dispensationem S. Petro ac successoribus ejus commisit. Hoc fundamento nixus Papa Bonifacius VIII decrevit, ut plenam omnium noxarum veniam obtinerent ii, qui anno 1300, ac deinceps centesimo quoque anno Romana SS. Petri & Pauli templa frequentarent. In lege autem Mosaica, quam spirituali modo adimpletum venit Christus, annus quinquagesimus erat facer, eoque remissa sunt debita. Brevis etiam est vita hominum: & pauculi ætatem annorum centum attingunt. Itaque, quo plures hanc assequantur indulgentiam, concedimus eam singulis, qui anno 1350, & posthac in perpetuum quinquagesimo quovis anno vere poenitentes ac confessi templa SS. Pe-  
 tri

tri & Pauli, ac Lateranense S. Joannis æcul.XIV. &  
A.C.1343.  
per dies minimum triginta continuos, si  
sint Romani, si vero exteri sint, per dies  
quindecim obibunt. Dabat 27 Jan.  
1343. Hic templis Principum Apосто-  
lorum additur Lateranense: atque inibi  
primum hæc indulgentia comparatur  
cum debitorum condonatione anno sacro  
legis antiquæ facta.

## §. XVI.

*Robertus Neapolis Rex moritur.*

Eodem tempore, scilicet 19 Jan. Rober-  
tus Neapolis Rex e corpore excessit  
annos natus sexaginta quatuor circiter:  
postquam triginta tres & amplius regna-  
verat. Ita Joannes Villanus, qui adjun-  
git: Hunc ego dixerim Regum, quos J. Vill. l. 12.  
c. 9.  
Bal. to. 1.  
p. 245. 288.  
Christianus orbis per secula quinque ha-  
buerit, sapientissimum tam a judicio na-  
turali, quam a doctrina: erat enim Theo-  
logus magnus, ac excellens philosophus,  
simulque benignus, amabilis, & cunctis  
virtutibus ornatus; nisi quod ab ineunte  
senio avaritiæ labem contraxerit per spe-  
ciem belli ob recuperandam Siciliam.  
Et vero thesaurum magnum reliquit Re-  
ginæ Joannæ nepti suæ, quæ, cum dees-  
set proles mascula, illi successit. Patrem  
ea habuit Carolum Calabriae Ducem Re-  
gis Roberti filium an. 1328 mortuum:  
M m 5                      atque

**Sæcul. XIV.** atque per Regem suum avum juncta ma-  
**A.C. 1343.** trimonio est Andreæ filio Charoberti Re-  
 gis Hungariæ. Sed quod ambo essent  
 in ætatis flore, Rex Robertus per testa-  
 mentum suum ad regnum, donec Joanna  
 viginti quinque annos haberet, admini-  
 strandum designavit Sanctiam Arrago-  
**Rayn. n. 75.** niam Neapolis Reginam ejus aviam, Phi-  
**Bal. p. 1019.** lippum Cabassolum Episcopum Cavellio-  
**1020.** nensem regni Cancellarium, duos Comi-  
 tes, aliumque Optimatem: qui post Re-  
 gis Roberti obitum exercere potestatem  
 coeperunt suam.

Sed Papa Clemens VI contendebat,  
 hujus regni administrationem ad se tan-  
 quam supremum, proximumque ejus Do-  
 minum pertinere, quamdiu Regina mi-  
 nor annis esset. Igitur de consilio Car-  
 dinalium per litteras declaravit nec de-  
 buisse Regem Robertum, nec potuisse Re-  
 ginæ Joannæ tutores dare; & quidquid  
 hujus Principis nomine fecissent, esse ir-  
 ritum, vetuitque sub anathematis pœna,  
 ne in posterum administrationi se immi-  
 scerent. Hanc commisit Cardinali E-  
**Bal. p. 246.** merico Chastelio, quem anno priorè in  
**Rayn. 1342.** Italiam miserat ut suum Legatum. Da-  
**n. 22.** bat 28 Nov. 1343.

§. XVII.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1343.

*Charobertus obit. Ludovicus Rex  
Hungariæ.*

Carolus seu Charobertus Hungariæ Rex die Martis ante festum S. Margaritæ, scilicet sexto decimo Julii an. 1342 vitam cum morte commutans tres reliquerat filios, Ludovicum, Andream, & Stephanum. Ludovicus septendecim natus annos successit Patri, & coronatus est die dominica ante festum S. Jacobi vicesimo primo Julii in templo Albæ Regalis per Chanadium Archiepiscopum Strigoniensem, qui socios habebat sex Episcopos, nimirum Quinque Ecclesiarum, Agriæ, Vesprinii, Jaurini, Sirmii, & Bosniæ. Andreas secundus Charoberti filius evasit Rex Neapolis: ac Stephanus factus est Dux Sclavoniæ. Rex Andreas diu instabat Papæ, ut ipsum coronari fieret; quod tandem obtinuit 2 Febr. 1344. Id negotium mandatum est Cardinali Emerico Chastelio, qui etiam a Regina Joanna clientelæ professionem recepit pridie Calendas Septembres ejusdem anni.

*J. Vill. l. 12.  
c. 6.  
Bonfin. p.  
325.  
Dlug. to. 1.  
p. 1063.*

*Rayn. p. 344.  
n. 16. 17.*

Interim Sicilia divinis interdicta erat a die sententiæ contra Petrum Arragonium per Nuncios Papæ Benedicti XII pre-

*Sup. lib. 94.  
c. 62.*

Sæcul. XIV.  
A.C. 1343.

pronunciatæ anno 1339. Quæ res Papæ Clementi præbuit ansam reservandi arbitrio suo cuncta præcipua hujus insulæ beneficia suffragiis subjecta tunc vacantia, & vacatura, scilicet episcopatus, Ecclesias Canonorum collegio insignes, Abbatias, & prioratus cœnobiticos, ac electioni obnoxios. Hæc reservatio fiebat in biennium a Calendis Juniis anni 1343, quo tempore defluebat illa, quam decreverat Joannes XXII; neque monasteria Virginum comprehendebat. Litteræ Clementis VI scriptæ sunt 5 Maji eodem anno.

## §. XVIII.

*Papa, quid Imperatorem facere velit, edicit.*

Rayn. n. 42.

n. 57.

Clemens VI vivente Ludovico Bavaro eligi alium Imperatorem cupiens infestebat vestigiis Joannis XXII: ac die Cœnæ Domini 10 Aprilis fufas edebat litteras: ubi, quidquid a morte Henrici Luxemburgii factum, quidquid Ludovico Bavaro objectum erat, repetit: ac postea sic concludit: Igitur continuata simul & multiplicata ejus crimina diutius impunita sinendo impares admonemus ipsum, ut intra tres menses administrationem Imperii & titulum Imperatoris, aut Regis,

Regis, & cujusque dignitatis deponat, & nostris se mandatis coram submittat, tot crimina, totque injurias Ecclesiæ factas compensaturus. Declaramus etiam, illum, si non pareat, pro immanitate suorum facinorum a nobis plexum iri. Has Papa litteras cunctos ad Archiepiscopos misit cum epistola 12 Aprilis data, per quam eos jussit illarum exemplaria Suffraganeis ipsorum tradere omnibus in templis solemniter promulganda: eamque monitionem Avenionensis templi foribus affigendam curavit.

ſæcul. XIV.  
A.C. 1343.

n. 58.

Trimestre inter spatium præstitutum Ludovicus Bavarus Procuratores sæpius ad Papam & Franciæ Regem misit, a quo semper illum pendere, & cujus deprecationem apud eundem haud sinceram esse credebat. Incassum cecidit conatus omnis. Elapsis tribus mensibus Papa senatum habens jussit quendam contenta voce rogare Latine ac Germanice, an adesset aliquis pro Ludovico Bavarō? Nemine comparente Papa illum declaravit contumacem. At Ludovicus Gallorum Regi scripserat: Si me Papa exagitet, poenas a te repetam. Quapropter Rex monuerat Papam, ne longius procederet.

Alb. Argent.  
p. 133.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1343.

§. XIX.

*Papa beneficia Anglica confert  
exteris.*

*Sup. §. 12.* Inter Cardinales priore anno creatos erant Ademarus Robertus de S. Anastasia, & Geraldus Gardius de S. Sabina, ambo Lemovices, quibus Papa beneficia contulit Anglica. Miserunt Procuratores suos in Angliam, harum ut gratiarum effectum caperent. Sed a Prætoribus regiis, ne mandata conficerent, impediti, in carcerem contrusi, & cum ignominia eiectione e regno sunt. Papa rem edoctus ad Regem Eduardum III ita scripsit: Pridem judicavimus creatis Cardinalibus novis debere dari, unde congruenter statui suo viverent, cum Ecclesiæ negotiorum molem nobiscum ferant: & postquam bene perpenderamus omnia, non invenimus modos minus onerosos Ecclesiis, quam si Cardinalibus istis assignaremus beneficia variis in regionibus jam vacantia, vel vacatura usque ad certam summam. Ita duobus Cardinalibus Emerico & Geraldo in Aquitania tua natis beneficia in tuo sita regno decrevimus.

Tum refert, quomodo habiti sint horum procuratores: & addit: Certum est nos

nos in cunctis fere regionibus catholicis  
 similes gratias reliquis Cardinalibus no-  
 vis largitos esse, nec audiisse quidquam  
 dici de rebellionem aliqua: & credimus ad  
 tuum ipsius honorem atque commodum  
 interesse, ut Cardinales ad obsequendum  
 tibi nativo affectu promptissimi beneficia  
 tuis in terris possideant. Utinam non  
 ii, qui dignitates suas Romanæ debent  
 Ecclesiæ, authores hujus violentiæ fue-  
 rint; ut fuisse probabiliter creduntur. Fi-  
 nit orando Regem, ut facta contra pro-  
 curatores Cardinalium compenset, suum-  
 que illis præsidium ferat ad negotia eis-  
 dem injuncta. Dabat 28 Aug. 1343.

Sæcul. XIV.  
 A.C. 1343.

Post spatium mensis Rex sic respon-  
 dit: Constat jam inde a principio Eccle-  
 siæ Reges antecessores nostros & Angliæ  
 Optimates condidisse templa, tribuisse  
 his bona & privilegia, instituisse ibi di-  
 gnos Ministros, qui populos erudirent, ac  
 propagarent fidem. Sed, quod acerbum  
 dictu est, hæc bona obtinent homines in-  
 digni, potissimum exteri, qui nunquam  
 resident in locis beneficiorum, haud no-  
 scunt greges suos, non intelligunt eorum  
 linguam, & unice quærunt privata com-  
 moda sua. Ita minuitur divinum servi-  
 tium: negligitur animarum cura: cessat  
 hospitalitas: Ecclesiarum jura dilabuntur,  
 ædificia corruunt. Interim indigenæ  
 docti probique, qui regere animas, & in-  
 fenati-

*Valsing.*  
 p. 191.  
*Rayn. n. 90.*



Sæcul. XIV.  
A.C. 1343.

fenatibus nostris idonea promere consilia scirent, relinquunt studia litterarum ex desperatione impetrandi beneficia. Præterea jus nominationis seu patronatus nobis ac regni civibus proprium circumciditur: eluditur nostra jurisdictio: & nostræ jura coronæ turpiter intereunt: simul opes regni transferuntur ad extraneos, ne dicamus, ad inimicos ejus; forsitan ex secreto proposito enervandi Angliam deprimendo Clerum ejus, ac divitiis illam exhauriendo. Cuncta hæc incommoda nuperrime nobis exposuit supremus senatus noster: & quod intolerabilia censeret, magnopere nos & concorderiter orabat, ut remedium iis afferremus. Precamur itaque, ut electiones liberas Ecclesiis cathedralibus, cæterisque permittas; eo magis, quod majores nostri primum has Ecclesias jure regio contulerint; deinde rogatu Sacræ Sedis suffragia Collegiis ac cœtibus concesserint sub certis conditionibus; & hæc concessio Romæ confirmata fuerit. Scribebat 26 Sept.

Hæc epistola continet duo momenti facta veritati contraria, nimirum ex ignorantia illius seculi. Prius est, quod Anglorum Reges instituerint & dotarint cunctas regnorum suorum Ecclesias: cum certo liqueat in Magnam Britanniam jam sub imperio Romano introductam

ductam religionem veram, ac episcopales <sup>Sæcul. XIV.</sup>  
 ibi sedes constitutas esse, plerasque ante <sup>A. C. 1344.</sup>  
 adventum Anglo-Saxonum, aliorumque  
 barbarorum: ut legimus in decursu hi- <sup>Sup. lib. 46.</sup>  
 storix hujus. Alterum est, quod Reges <sup>§. 47.</sup>  
 initio habuerint jus conferendi episcopa-  
 tus; & quod electiones illorum permissu  
 inductæ fuerint. Vidimus sub Imperio  
 Romano Episcopos electos & consecra-  
 tos esse per Concilium provinciæ; neque  
 Imperatorem aut Prætores ejus se inter-  
 posuisse. Postquam populi barbari sedes  
 illic suas collocaverant, illorum Reges in-  
 terdum dominabantur in electionibus.  
 Collegiorum autem suffragia sensim irre-  
 pserunt: seculo duodecimo stabilita in-  
 venio; nec eorum initium notare potui.

§. XX.

*Novi Cardinales.*

Sabbato primæ hebdomadis jejunii ver-  
 ni vigesimo septimo Februarii anno  
 1344 Papa Clemens duos decrevit Car-  
 dinales. Prior erat Petrus Bertrandus <sup>Bal. vit. 249</sup>  
 junior, nepos illius, qui ex disputatione <sup>870.</sup>  
 cum Petro Cuniario sibi famam conci- <sup>Sup. lib. 94.</sup>  
 liaverat, & adhuc vivebat. Ejus soror  
 Margarita Bertranda nupsit Bartholomæo  
 Columbario in dioecesi Viennensi, ac ex  
 eorum conjugio natus est Petrus iste:  
 quem Benedictus XII Canonicum Augu-  
<sup>§. 4.</sup>  
*Hist. Eccles. Tom. XXIII.*      N n    stodu-

**Sæcul. XIV.** stodonensem fecit; tum Nivernum, dein  
**A. C. 1344.** Attrebatum accepit Episcopum anno  
 1339; Papa Clemens Cardinalem Pres-  
 byterum de S. Susanna renunciavit ro-  
 gante Regina Franciæ Joanna Burgun-  
 dica. Id fatebatur ipse in sermone, quem  
 ad Cardinales ideo congregatos habuit.  
**Bal. p. 869.** Deum, agebat, laudo testem, me die Jo-  
 vis nihil cogitasse minus. Sed adulto  
 vespere ad me venit epistola Reginæ Gal-  
 lorum, quæ in principio mei pontificatus  
 mihi scripserat, ut, quem ipsa vellet, pur-  
 pura ornarem: & postea mihi sæpius  
 hunc Antistitem summopere commenda-  
 vit per litteras ac Legatos suos. Si præ-  
 vidissem me sacros ordines collaturum,  
 promovissem unum vel plures Italos. Pa-  
 pa hunc Præsulem vocari Cardinalem  
 Attrebatensem voluit.

**p. 874.** Alter fuit Nicolaus Bessius Papæ ne-  
 pos, sororem ejus Delfinam Rogeriam,  
 & Jacobum Bessium parentes habens.  
 Avunculus eum suus educandum probe,  
 ac Lutetiæ imbüendum litteris curavit:  
 quas dein Aureliæ profecutus, ibi Pro-  
 fessorem agebat, quando ad Papæ aulam  
 vocabatur. Anno priore 1343 per eun-  
 dem evaserat Episcopus Lemovicensis:  
 sed nunquam consecratus est: ac per  
 communes omnium Cardinalium preces  
 factum, ut avunculus eum diceret Car-  
 dinalem

dinalem Diaconum de S. Maria *in via* Sæcul. XIV.  
*lata.* A. C. 1344.

§. XXI.

*Agitur de absolvendo Ludovico  
 Bavaro.*

Cum Rex Philippus Valesius impetrasset, ut Papa Ludovicum Bavarum infectari omitteret: hic Princeps ad utrumque misit, qui quærerent, quid obfaret reconciliationi, cum omnia, quæ Papa vellet, facere paratus esset. Rex *Alb. Argent.*  
 Philippus illi reposuit: Papa dicit, te non P. 133.  
 flagitare gratiam eo modo, quo deberes. Ludovici Legatis dandæ sibi ab eo potestatis exemplar poscentibus Papa tam probrosum, & tam durum præbuit, ut Ludovico haud subsignandum duceret, vel si captivus foret. Jubebatur enim per suum avunculum Humbertum Delphinum Viennensem, per Præpositos Ecclesiarum Augustanæ ac Bambergensis, & per Doctorem Udalricum Augustanum fateri hæreses ac errores cunctos sibi adscriptos; Imperii clavum ponere; nec nisi per Papæ gratiam resumere, seque cum liberis, bonis, ac terris suis ejus arbitrio subjicere.

Ludovicus Bavarus non tantum ob- Rayn. 1344.  
 signavit perscriptam rei sic gerendæ po- n. 60.  
 N n 2                      testa-

Sæcul. XIV.  
A.C. 1344.

p. 134.

testatem; verum etiam coram Notario per Papam misso juravit fore, ut eam observaret, nec retexeret. Stupentes Papa & Cardinales illum intimis angi sensibus videbant. Quatuor Legati 16 Jan. 1344 se Papæ sistebant in senatu publico, & secundum factam sibi potestatem iurandum dabant: deinde Papam urgebant, ut scriptas ipsis traderet poenas, quas Ludovico injungeret. At ille tradidit eis scriptum ad statum Imperii totius, non ad Principem seorsum pertinens. Ludovicus, postquam illud acceperat, ejus exemplum seu apographum misit ad cunctos Germaniæ Principes, præsertim ad Electores, urbesque magnas: & comitia hac de re Francofordiæ habenda edixit. Convenerunt illuc ordinum procuratores mense Septembri an. 1344: & Doctor Vigerius Archiepiscopi Trevirensis Archigrammateus jussu Ludovici sic loquebatur: Domine! Electores, cæterique Imperii clientes fiduciarium antehac Coloniae præsentem, cum ea, quæ Papa ob Ecclesiam tibi reconciliandam poposcerat, examinassent, communi sententia statuerunt illa tendere ad perniciem Imperii; & post fidem huic juratam nec te, nec se illa posse accipere. Decreverunt ad Papam mittere, qui orarent, ut desisteret. Si nolit, destinarunt diem, quo Rensia ad Rhenum deliberationem tecum

cum ineant, quomodo his molitionibus **Sæcul.XIV.**  
 fit obfistendum. **A.C.1344.**

Archiepiscopus Moguntinus præfens,  
 ac reliquorum Principum Oratores Archigrammatei verba confirmabant: cumque nuntii urbium inter se consultassent, Moguntiaë procurator omnium nomine ad Ludovicum, Domine! ajebat, urbes sine Imperio stare nequeunt: atque, si Papa in proposito persistat suo, semper promptissime geremus morem, ac Imperii jura, honorem, & incolumitatem per omnes modos a Principibus inventos conservabimus. Agens gratias Imperator, Intra octo dies, inquiebat, ego & Carolus Moraviaë Marchio cum Principibus Rensiam veniemus, nostrumque decretum vobis indicandum curabimus. Reapse illuc delati, quid Papæ scriberent, deliberabant. At Ludovico non convenit **Rebdorf.**  
 cum Joanne Bohemorum Rege ac filio **an. 1344.**  
 ejus Carolo propter controversias, quas inter se habebant: nam hos ille atrociter offenderat: ita discesserunt inimici. Interim Legati Principum Imperii ad Papam detulerunt ea, quæ contra postulationes ejus objecta fuerant. Sed cum gerendi negotii potestate nulla instructi essent, Papa se ludibrio haberi ratus, tanto magis efferbuit in Ludovicum Bavarum. Ut eum gradu moveret, cum Principibus domus Luxemburgiæ, Balduino

Sæcul. XIV.  
A. C. 1344.

Archiepiscopo Trevirensi, Joanne Rege Bohemiæ, ac filio ejus Carolo Moraviæ Marchione consilia contulit: quorum effectus patuit duobus post annis.

## §. XXII.

*Praga fit sedes Metropolitæ.*

Bal. vit.  
p. 252.

Sup. lib. 94.  
§. 46.

Rayn. 1340.  
n. 16. 17.

Sed eodem anno 1344 pridie Calendas Majas Papa vehementer orantibus Rege Joanne ac Marchione Carolo Pragam, ubi hæctenus residebat Episcopus Moguntino subjectus Præfuli, in posterum voluit esse Sedem Archiepiscopi: cui ut Suffraganeos daret, Litomerinum Præmonstratensis Ordinis & Pragensis dioceseos Abbatem cum successoribus ejus ad pontificiam dignitatem evexit; & a Magdeburgensi provincia sejunxit Olomutium Moraviæ, ac Misniam Saxonie urbes. Ad desiderium Regis Bohemiæ accessit singularis ratio minuendi auctoritatem Moguntini Archiepiscopi, quod Henricus Busmannus sedem tunc illam tenens a Ludovico Bavaro stare. Idcirco illius jurisdictione Pragensem Episcopum tres abhinc annos exemerat Benedictus XII per diploma 23 Jul. 1341 editum: & postea, cum Rex Joannes filio suo Carolo, quo certiores ei successionem in regno Bohemico redderet, imponi coronam vellet, Papa id facere Pragensem

genssem Episcopum jusserat, per litteras Sæcul.XIV.  
 15 Oct. eodem anno datas, etsi hæc fun- A. C. 1344.  
 ctio ex veteri more ad Moguntinum Ar-  
 chiepiscopum pertineret: sed interdictus  
 erat administratione sui muneris: & Cle- Rayn. 1343.  
 mens VI rem continuans 17 Oct. 1343 ei n. 62.  
 præceperat, ut intra quatuor menses se  
 ipsi sisteret.

Primus Pragæ Archiepiscopus evasit Dluge.  
 Ernestus Parduvianus, qui Episcopus e- p. 1073.  
 jus fuerat; & cui Papa 25 Aug. pallium  
 misit. Eodem in senatu pridie Calen- Rayn. 1344.  
 das Majas habito Papa civitatis, & pon- n. 64.  
 tificiæ sedis honore insignivit Algeziram Id. n. 51.  
 Andalusie urbem, quam Rex Alphonfus Bal. not. 871.  
 nuper Mauris Granatensibus ademerat.

§. XXIII.

*Papæ reservationes negligit  
 Anglia.*

Eduardus III Anglorum Rex Andream  
 Oxoniensem sacelli sui Clericum ad  
 Papam Clementem misit cum epistola,  
 cujus hæc erat summa: In magnas me  
 adduxisti angustias, dum reservatum ar-  
 bitrio tuo episcopatum Norvicensem Gui-  
 lielmo Barcmano contulisti, contra sena-  
 tusconsultum in mea olim curia pro con-  
 servandis meæ coronæ juribus factum:  
 ut tibi meæ, Nobilium, populique Angli-



Sæcul XIV.

A.C. 1244.

ci litteræ indicarunt. Ex altera parte volebam tibi obsequi, & huic favere Episcopo: ex altera videbam instans periculum, cum omnes ferme Præfules Proceresque, ne eum reciperem, me mone-  
rent. Tandem tum per tui reverentiam, tum ob dotes suas huic Viro concessi bona episcopatus sui profana, sed ita, ut hoc postea in exemplum venire nequeat. Supplico autem tibi, ut ne reserves, & conferas episcopatus regni mei, sed Collegiis relinquant libertatem electionum, quas ipsis permisere Majores nostri, & Sacra Sedes ratas habuit.

Papa respondit hunc in modum: Videris dicere, tuo senatui licere aliquid in reservationes collationesque Ecclesiarum; a sacra Sede factas pendere ex voluntate tua; & illius potestatem a te pro arbitrio tuo adstringi posse. Verum est: non uti ea nisi ad emolumentum Ecclesiarum volumus ut pastor universalis. At non credimus te nescire facta priorum Pontificum, & constantem hac in re obedientiam Angliæ. Nec oblitus es te reservationes interdum petiisse a nobis: & tui Consilarii haud ignorant poenas canonicas irrogatas authoribus sanctionum libertati ecclesiasticæ noxiarum.

Nos & Fratres nostri Cardinales audivimus in varias regni tui partes missa esse edicta & litteras derogantes huic libertati,

bertati, primatui Romanæ Ecclesiæ, & Sæcul. XIV.  
 authoritati Sedis Apostolicæ: ut omitta-  
 mus addictos carceri multos Clericos, A.C. 1344.  
 gratiarumque nostrarum executioni ob-  
 stantium hominum audaciam tantam, ut  
 vix audeat quisquam in Anglia nostras  
 exhibere litteras. Et postea: Considera  
 non Apostolos, sed Dominum ipsum Ec-  
 clesiæ Romanæ tribuisse primatum supra  
 omnes totius orbis Ecclesias. Illa est,  
 quæ instituat singulas Ecclesias patriar-  
 chales, metropolitanas, & cathedrales,  
 dignitatesque cunctas inibi existentes.  
 Papa est, ad quem pertinet statuere de  
 universis Ecclesiis, honoribusque, mune-  
 ribus, beneficiis, ac Viris ecclesiasticis.  
 Dabat II Julii an. 1344. Facile fuit tam  
 amplum jus perhibere: sed id demonstra-  
 re oportuit: quod nemo unquam faciet.  
 Decimo quarto Septembris Papa Cle-  
 mens Nicolaum Archiepiscopum Raven-  
 natem, ac Petrum Asturicanum Episco-  
 pum in Angliam ut internuncios misit  
 cum potestate convocandi concilium Præ-  
 sulum regni, ut delerentur ea, quæ Papa  
 contra suam authoritatem novata esse di-  
 cebat. Archiepiscopus Cantuariensis  
 Joannes Stretfordius ferebatur antea fuis-  
 se author ita resistendi Papæ.

#. 59.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1344.

§. XXIV.

*Concilium Remense.*

*Marlot. to. 2.  
p. 620. 624.*

*to. II. conc.  
p. 1899.*

*Sup. l. 92.  
§. 97.*

*c. 3.*

*c. 7.*

Joannes Viennensis per decem annos Remensem tenebat sedem, ad quam a Tervanensi translatus fuerat. Hoc anno concilium provinciale Novioduni habere cupiens Sueffionensi Episcopo tanquam in provincia primo negotium dedit, ut ad Collegas suos litteras convocationis mitteret. Itaque, cum Petrus Sueffionum, Hugo Lauduni, Joannes Ambiani, Joannes Tornaci, Raymundus Tervæ, ac Robertus Silvanecti Episcopi sex Noviodunum delati, die lunæ 26 Julii anno 1344 convenissent, conditi sunt septendecim canones: quorum primus continet tam crebras illo tempore querimonias de moratoribus jurisdictionis ecclesiasticæ; nempe de iis, qui studebant limites ponere nimie amplitudini, quam Clerus ei dabat, & quæ in dies crescebat. Concilium Noviodunense hac in materia se refert ad sanctionem concilii Silvanectini anno 1318 habiti sub Archiepiscopo Roberto Curtiniacensi. Prohibet, ne Clerici pro more illius temporis provocaciones ad pugnam ex formula faciant; & contra, ne laici Clericos provocent. Item, ne nugatores & ludii populum adducant,

ducant, ut instructo agmine procedat cum cereis fide sacris: atque ne Sacerdotes putata miracula solemniter in templis suis celebrant sine permisso proprii Episcopi. Præcipit, ut Religiosi Mendicantes, cæterique Oratores sacri populum ad solvendas fideliter decimas hortentur, alioquin amissuri potestatem absolvendi a casibus Episcopo reservatis. Conatur reprimere vexationes adjutorum, de quibus querelæ jactabantur magnæ, sicut de avaritia procuratorum, partes per impensas in lites injustas aut de nihilo motas pecuniis exhaurientium. Hi autem procuratores erant Clerici.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1344.

c. 12.

c. 9.

c. 16.

c. 17.

§. XXV.

*Papa insulas Canarias concedit Ludovico Cerdano.*

In aula Gallica tum versabatur Ludovicus Cerdanus, dictus communiter Ludovicus Hispanicus, qui genus ducebat a Ferdinando seniore filio Alphonsi Sapientis Regis Castiliæ, & a Blanca filia S. Ludovici. Ille Avenionem profectus ut Legatus Regis Franciæ poscebat a Papa Clemente dominium insularum, quas tum temporis vocabant Fortunatas, hodie Canarias nuncupant ex nomine præcipuæ inter eas: exponebatque illas

Rayn. 1344.

n. 19.

Bal. vit. to. I.

p. 290. 925.

Th. Valsing.

p. 165.

ab

**Sæcal. XIV.**  
**A.C. 1344.**

ab ethnicis incolis, neque Christiano cuiquam Principi esse obnoxias: se, ut veram illuc religionem introduceret, sua bona & vitam periculis objecturum. Papa probans tam pium propositum in publico senatu illum creat Principem insularum Fortunatarum; per auctoritatem Apostolicam illi tribuit earum dominium omni cum jurisdictione profana; & in signum inaugurationis suis eidem manibus coronam auream imponit, ea lege, ut Ecclesiæ Romanæ in censum annum quadringentos florenos aureos penderet, aliisque conditionibus: quas continet diploma 15 Nov. 1344 datum.

**Ughell to. 3.**  
**p. 423.**  
**Sup. l. 64. §. 8**

Cum Ludovicus Cerdanus Canarias haud obtinuerit, hæc donatio caruit effectu: indicat tamen Papas arrogasse sibi jus in omnes insulas, explicatum in diplomate, quo Urbanus II anno 1092 Corsicam Episcopo Pisano contulit. Ac eodem fundamento nitens Adrianus IV Hiberniam Henrico II Anglorum Regi permisit: ut docet illius diploma anno 1156 scriptum. Qua in re minus memorabilis mihi videtur assertio Papparum, quam credulitas Principum.

**to. II. Conc.**  
**p. 1144.**  
**Sup. Lib. 70.**  
**§. 16.**

§. XXVI.

§. XXVI.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1344.

*Paratur bellum sacrum in Turcas.*

Ab anno 1343 Papa Clemens indixerat bellum sacrum adversus Turcas: & hoc fine Regem Cypri Hugonem, Magnum Rhodiorum Equitum Magistrum, ac Venetiarum Ducem conjunxerat. Ponebat suum ipsius nomen in fronte foederis; certumque triremium numerum Apostolici ærarii sumptibus subministrabat. In triennium decreta erat expeditio. Hujus causa concessit ille decimas: ac totum rei agendæ rationem exposuit in litteris ad Archiepiscopum Mediolanensem ac ejus Suffraganeos datis 3 Sept. 1343. Similes misit ad Archiepiscopos reliquæ Italiæ, Dalmatiæ, Hungariæ, Franciæ, Hispaniæ, ac universi orbis Christiani: diem qua triremes convenirent, Calendas Novembres ejusdem anni, locum vero Chalcedem edixit.

Ragn. 1343.  
n. 2.

§. XXVII.

*Monita Magistro Equitum Rhodiorum data.*

Ex occasione hujus moliminis Papa Helionio Villanovano Magno Rhodiorum Equitum Magistro scripsit in hanc sententiam:

Sæcul. XIV.

A.C. 1344.

n. 5.

tentiam: Ut ex Viris spectatis comperimus, tu & Fratres tui vix ullo modo bene impenditis reditus bonorum, quæ innumera trans mare ac citra possidetis. Qui ea administrant, equos speciosos, & sublimes inscendunt; vestitu magnifico, victu lauto ac eleganti, vasis argenteis & aureis utuntur; canes, avesque venaticas alunt; magnas congerunt opes; sed parum stipis erogant. Denique non videntur curare propagationem fidei, & Christianorum defensionem præsertim ultra mare, ob quam hæc bona grandia obtinuerunt. Quocirca fuit deliberatum, an Sacræ Sedi esset institendus novus Ordo militaris, qui dotaretur parte bonorum tui Ordinis, ut inter duos Ordines istos æmulatio quædam existeret; ut quondam inter vos ac Templarios. Tum Papa propositum expeditionis bellicæ contra Turcas exponens, Rhodios, ut eo concurrant, stimulat, & addit: Multi conqueruntur esse inter vos graves inimicitias, & vos vestris Sacerdotibus fratribusque famulis pensiones haud solvere. Dabat 8 Aug. 1343.

§. XXVIII.

## §. XXVIII.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1344.*Sacræ Crucis copię Smyrnam  
capiunt.*

Papa Clemens ad totam expeditionis bellicæ rationem administrandam suum Legatum fecit Henricum IV Constantinopolitanum Patriarcham Latinum: ac peculiare imperium in quatuor triremes suas Martino Zachariæ Nobili Genuesi Viro rei militaris experto tradidit. At hic Dux olim ab Imperatore Andronico male habitus Græcis eripere Chium insulam, & sibi subicere cogitabat. Quod edoctus Papa, ut ne ista res Græcos a reditu ad Ecclesiam Romanam averteret, Legatum Henricum iussit omittere hoc molimen, ac recta in Turcas ducere. Scribebat 18 Sept. 1344.

*Rayn. 1344.**n. 2.**Rayn. 1337.**n. 34.*

Itaque Christiana classis relicta Chalcide Smyrnam Anatoliæ urbem, quam Turcæ tenebant, petiit, & oppugnatam vi cepit die S. Simonis 28 Octobris. Ingens ibi strages edita: neutri sexui, nulli ætati parsum. Deinde Papa purgari delubra, & rei divinæ ibi operam dari, urbemque muniri voluit brevi obsidendam ratus. Et vero Turca Morbaxanus, qui regioni præerat, hoc fine tricies mille equites, ac peditatum adduxit innumerabilem.

*Id. 1344. n. 3.**J. Vill. 1. 12.**c. 38.**Rayn. n. 5.**Id 1345. n. 1.**Hist. Cortus.*



Sæcul. XIV.  
A.C. 1345.

bilem. Sed post trimestrem fere oppugnationem suorum multos occumbere, ac nihil promoveri videns cum maxima copiarum parte vicinos in montes se recepit relicto ad obsidionem continuandam parvo numero. Igitur obsessi magna eruptione facta Turcas multos enecant, reliquos in fugam agunt, eorum castra capiunt, diripiuntque. Legatus in actionem gratiarum ibi sacrificium peregit veluti die festo inter summam omnium lætitiã.

Tum certa per signa monitus Morbaxanus descendit de montibus, & Christianos palantes ac incompósitos facile confecit. Ceciderunt Patriarcha Legatus, Martinus Zacharias, Petrus Zenus Venetus, Regis Cyprii castrorum Præfectus, multi Equites Rhodii, & amplius quingenti fortes Christiani. Id accidit die S. Antonii 17 Jan. 1345. Cæteri Smyrnam ingressi se strenue ibi defendebant.

*Rayn. n. 2. 3.*  
*Et c.*

Papa rei certior factus Legato cæso suffecit Raymundum Saquetum Episcopum Tervanensem, & copias suas submitit Bertrando Baucio Domino Cortedoniæ in diocesi Avenionensi. Jamque profecturi erant: cum Rex Philippus Valensius Papæ scripsit non placere sibi, hunc Præsulem, ac Equitem istum tam longum iter ingredi. Permisit illico Papa, ut

ut se ad voluntatem Regis conformarent: ac ei exposuit se indulgentiam militiæ huic sacræ concessam non extendisse in Franciam; nec velle, ut hoc fine quisquam inde abeat instante bello cum Anglis. Epistolam dabat 12 Maji an. 1345. Memorat ibi aliquos carpere hanc in ethnicos expeditionem bellicam quasi tantum eos acrius contra Christianos concitaturam. Raymundus Saquetus erat Regi a consiliis, & arcanorum arbiter; Episcopus autem Tervanensis ab anno 1334, ac viginti post annis Lugdunensis Archiepiscopus.

Exercitum Christianum Papa Viennensi Delphino Humberto cupienti subiecit Avènone coram Cardinalibus. Is spondebat fore, ut mox in viam se daret; navem ut quam tardissime 2 Aug. conscenderet; Euboeam medio Octobri attingeret; centum armatos partim Equites, partim Nobiles scutarios secum duceret, suisque sumptibus aleret, quamdiu duraret foedus inter Papam, Regem Cypri, Rhodios, ac Venetos. Dein ei Papa publice crucem ac vexillum Romanæ Ecclesiæ sua manu tradidit 26 Maji. Delphinus reapse protectus mari se commisit Venetiis una cum multis cruce signatis Italis, aliisque: sed ejus iter haud bene vertit.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1345.

Gall. Chr.  
to. 1. p. 228.  
to. 2. fol. 431.

J. VIII. 12.  
c. 83.  
Vita. Pap.  
p. 285. 270.

§. XXIX.  
O o

Histor. Eccles. Tom. XXIII.

Sæcul. XIV.  
A C. 1345.

§. XXIX.

*Rex Neapolis Andreas perimitur.*

*Ibid. p. 246.*  
*270. 860.*  
*J. Vill. l. 12.*  
*c. 50.*

Adolescens Rex Neapolis Andreas pro-  
pediem coronandus erat; jamque o-  
mnia mandaverat huc pertinentia, cum  
Aversæ ubi cum Regina Joanna conjuge  
sua versabatur, per insidias occisus est 17  
Sept. 1345. Somno se daturum quidam  
domestici e cubiculo ducebant in terre-  
num aggerem per prætextam causam i-  
psi dicendi novum aliquid: sed obtorta  
gula jugulatum in subjectum hortum de-  
jecerunt. Sic vitam amisit hic Princeps  
undeviginti solum annos natus: ac Re-  
gina conjux ejus de contagione sceleris  
gravissime suspecta erat, jam infamis ve-  
lut aliis addicta.

*Rayn. 1346.*  
*n. 47.*

Papa plene rem edoctus contra no-  
centes edidit fufas litteras: ubi nemi-  
nem nominans omnes declarat infames,  
faciendoque testamento, vel alii cuiquam  
actui legitimo impares: præcipit, ut eo-  
rum domus destruantur; ac nemo iis  
solvat debitum; aut respondere in judi-  
cio teneatur. Proscribimus, addit, omnia  
eorum bona & jura, illisque, quibus  
subjecti sunt, addicimus: cunctis benefi-  
ciis, & dignitatibus ecclesiasticis sine spe  
restitutionis, cunctis honoribus ac officiis  
profanis eos exuimus: ad obtinenda si-  
milia

milia inhabiles reddimus: eis obnoxios, Sæcul. XIV. A. C. 1246.  
 eorumque clientes fiduciariorum juramento fidelitatis exsolvimus. Loca omnia, in quæ se recipere, afficiuntur interdicto: irrogantur poenæ illorum occultatoribus fautoribusque: adduntur omnes reliquæ clausulæ censurarum severissimarum. Universi, qui fontes aut nefandæ noxæ adjuncta noscerent, jubentur indicia deferre ad duos Cardinales, qui ut Legati mitterentur in Italiam. Denique Papa infirmitatem omnem potestatem absolvendi ab his censuris. Dabat 1 Febr. 1346.

§. XXX.

*Concilium Parisiense.*

Sequentis verni jejunii tempore Guilielmus Melodunensis Senonum Archiepiscopus Parisiis in ædibus Episcopi habuit concilium provinciale, cui intererant Fulco Lutetiæ, Petrus Antiffiodori, Philippus Meldarum, Joannes Niverni, & Joannes Treucarum Antistites, cum Vicariis Præfulum Carnuti, & Aureliæ. Cœperunt convenire tertia jejunii hebdomade die Veneris; ac pergebant usque ad proximum diem Mercurii 14 Martii. Condiderunt tredecim canones, quorum primus inchoatur sicut Bonifacii VIII decretalis *Clericis* laicos per veterem inimicitiam laicorum in Clerum: atque

*to. II. Conc. p. 1908. Spicil. to. 5. p. 128.*

*Dubois hist. Par. c. 2. p. 673.*

*Sup. lib. 89. §. 42.*

Sæcul. XIV.  
A. C. 1346.

conqueritur, quod Iudices profani Clericos quotidie mittant in carceres, ac tormentis subjiciant, quin etiam mactent. At non dicuntur infantes: tantum movetur querela, quod hæc fiant contra jurisdictionem ecclesiasticam.

c. 3. 4.

c. 13.  
Sup. l. 93.  
§. 32.

Concilium pergit: Proscriptus, qui post anni spatium intra tres menses se non curat absolvi, tractetur ut suspectus de hæresi. Possunt autem proprii locorum Episcopi corruptos hæresi, aut de hac suspectos capere: & poscentibus illis tenentur eos comprehendere Iudices profani, alioquin ipsi anathemate devinciendi. Reliqua præcipue contingunt profana Ecclesiæ bona: & postremo noxarum venia conceditur iis, qui salutationem angelicam dicerent hora receptus, seu vespere.

§. XXXI.

*Ecclesia Germanica.*

Bertholdus Argentinensis Episcopus sub finem anni prioris ad Papam miserat sui fori sacri Iudicem; per quem se illi plane submittens agnoscebat errorem commissum, cum a Ludovico Bavaro Ecclesiæ suæ bona profana quanquam invitatus acciperet, ac ob ista clientelam apud eum profiteretur. Spondebat etiam fore,

fore, ut obedientiam negaret Bavaro, Sæcul. XIV. A.C. 1346.  
 nec ullum cum eo commercium haberet, donec ei reconciliaretur Romana Ecclesia. Rei suo nomine gerendæ potestatem præscripserat 5 Nov. 1345. Papa submissionis rationem ducens Episcopum censuris omnibus, quibus teneretur, exsolvit ea lege, ut in pœnam duo facella conderet ac dotaret. Diploma dabat 22 Martii anno 1346.

*Rayn. n. 21:*

At Henricus Busmannus Moguntinus Archiepiscopus etsi per Papam Joannem XXII hanc ad sedem altam evectus, semper adhærebat Ludovico Bavaro, ut Collegio suo promiserat: neque commotus est severitate Benedicti XII, & Clementis VI: qui anno 1343 fufis litteris citatum & post plures dilationes contumaciæ damnatum ex formula, tandem dignitate omni exuit per sententiam 7 Aprilis hoc anno 1346 latam. Suffecit illi Gerlacum Comitis Nassovii filium, qui anno 1330 a Collegio electus de hac sede cum Henrico disceptaverat. Agebat Decanum Ecclesiæ metropolitanæ: Papæque videbatur per opes ac vires suas Henrici partes everfurus.

*Sap. lib. 94. s. 14. 46. Rayn. 1343. n. 64. 65. &c. Id. 1346. Trith. Chr. Hirs. 1346.*

Is vero contemnens Papæ sententiam semper pro Archiepiscopo se gerebat. Unde natum in Moguntina diocesi schisma durabat annis octo, quibus ille superstes erat. Quin etiam Adjuto-

Sæcul. XIV.

A. C. 1346.

rem sibi adscivit Cononem Falkenburgium Canonicum Moguntinum, virum doctum ac prudentem: cujus dexteritas & agnati potentes illum strenue defendebant a Gerlaco. Uterque contendentium omnem authoritatem sacram & profanam exercebat in locis, quæ tenebat: alter alterum proscribebant: erat bellum apertum: direptiones, ac incendia vastabant diocesim totam: damna per octo istos annos facta unius seculi spatio refarcire haud potuit Moguntina Ecclesia.

## §. XXXII.

*Sententia ultima contra Ludovicum Bavarum.*

Sup. §. 17.

Rayn. n. 8.

Interim Papa Clemens actiones iudicii contra Ludovicum Bavarum tam pridem inceptas finiit per litteras fusas, die Coenæ Domini 13 Aprilis 1346 editas. Repetit rem a monitione huic Principi tres abhinc annos data: arguit eum de violata sæpius promissi fide: confirmat Joannis XXII sententias in eum latis: prohibet, nequis hominum ei obediat; pactiones cum eo factas servet; eum recipiat; ullius rei communionem cum eo habeat: denique omni eum execratione devincit. Postea Electores Imperii jubet  
sine

sine mora eligere Regem Romanorum: Sæcul. XIV. A.C. 1346.  
 alioquin id acturam Sacram Sedem, a  
 qua jus & potestas Electorum profecta  
 fuerit.

Præter has litteras Papa 28 Aprilis scripsit Electoribus epistolam: in qua eis exponit mala orta ex Imperii vacatione, cujus initium ducit a morte Henrici Luxemburgii: & instat, ut per Gerlacum Moguntinum Archiepiscopum convocati mox conveniant ad electionem Regis Romanorum; nec tamen eo advocent, vel admittant iniquum possessorem marchionatus Brandenburgici. Is erat Ludovicus Ludovici Bavari filius natu major, quem jus suffragii ferendi nullum habere Papa perhibet.

n. 9.

§. XXXIII.

*Carolus IV electus Imperator.*

Inter hæc Rex Bohemiæ Joannes Luxemburgius, & filius ejus senior Carolus Moraviæ Marchio Avenione cum Papa conferebant consilia, ut Carolus Imperii clavum obtineret. Quæ res Alb. Arg. p. 135.  
 Cardinales in duas divisit factiones. Alterius caput erat Cardinalis Petrocoricensis, qui Carolum eligi volebat cum Cardinalibus Gallis. Altera quæ J. Vill. 1. 12. c. 59.  
 Vasconum erat, sequebatur Cardinalem Conveniensem. Contentionis ardor eo us-



Sæcul. XIV.  
A.C. 1346.

que abripuit duces, ut alter alterum Ecclesie proditorem vocarent, verbisque asperrimis acciperent coram Papa in senatu publico. Conveniens Petrocoricensem Regis Andreæ cædi affinem dicebat: Surgebant de suis sedibus ad vindictam: quam sumpsissent etiam, nisi se interposuissent alii: nam illi erant instructi armis ad nocendum. Romanam curiam res totam conturbabat: Aulici & Cardinalium domestici capiebant arma: duo capita factionum septis variis muniebant domos suas, diuque acriter cavebant sibi.

Rayn 1346.  
n. 19.

Tandem reliqui Cardinales & Papa eos saltem in speciem reconciliarunt.

n. 20.

Vigesimo secundo Aprilis anno 1346 Avenione in Papæ conclavi coram duodecim Cardinalibus Carolus Luxemburgius Clementi promissum fecit in hanc sententiam: Si favente Deo eligar Rex Romanorum, stabo cunctis promissis & concessionibus Imperatoris Henrici avi mei, atque antecessorum ejus. Declarabo irrita, & retexam acta omnia Ludovici Bavari ut Imperatoris. Neutiquam subjiciam mihi aut occupabo Romam, Ferrariam, vel alias terras & loca ad Ecclesiam Romanam pertinentia intra vel extra Italiam, veluti comitatum Vindesinum; neque Siciliam, Sardiniamve aut Corsicam. Atque ut devitem occasionem fallendi hoc promissum, Romam non ingre-

ingrediar ante diem, qua coronabor: ea-  
 que ipsa die abibo cum meis omnibus:  
 tum e terris Ecclesiæ Romanæ me pro-  
 tinus submovebo; nec revertar sine per-  
 missu Sacræ Sedis. Priusquam intrem  
 Italiam, & quidpiam decernam, flagitabo  
 a Sanctitate tua electionis approbatio-  
 nem: deinde hoc promissum confirmabo,  
 & iterum post impositam mihi coronam.  
 Rex Bohemiæ hanc filii sui sponsionem  
 ratam habuit.

Sæcul.XIV.  
 A. C. 1346.

n. 21.

n. 22.

n. 25.

Postea Papa tribus Electoribus, Va-  
 lerano Juliacensi Coloniae, ac Balduino  
 Trevirorum Archiepiscopis, & Rudolpho  
 Duci Saxoniae scripsit sibi Carolum Lu-  
 xemburgium imperatorio sceptro dignum  
 videri. Itaque Gerlacus Moguntinus  
 Archiepiscopus comitia convocavit non  
 ex more Francofordiam quippe a Ludo-  
 vico Bavaro stantem, sed Rensam prope  
 Confluentiam. Acciti sunt cuncti Ele-  
 ctiores: at comparebant quinque tantum,  
 Balduinus Trevirensis, Valeranus Colo-  
 niensis, Gerlacus Moguntinus, Joannes  
 Rex Bohemiæ, ac Rudolphus Saxoniae  
 Dux: qui omnes 11 Julii an. 1346 in Ro-  
 manorum Regem cooptarunt Carolum  
 Luxemburgium Moraviæ Marchionem.  
 Dicebatur Carolus IV. Papa rem edo-  
 ctus ei per litteras gratulabatur tertio  
 Calendas Augusti. Excepta dein sole-  
 mni Caroli legatione, rite confirmavit ele-  
 ctionem

n. 30.

DB  
 oiv  
*Vita. Bald.*

to. I.  
*Misc. p. 153.*  
*Trith. Chr.*  
*Hirs. an.*  
 1346.

*Rayn. n. 31.*

n. 33. 34.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1346.

tionem ejus 6 Nov. per diploma; cujus in principio ait Deum Papæ in S. Petro dedisse potestatem imperii coelestis ac terreni. Carolus 25 ejusdem mensis coronatus est Romæ, utpote ab Aquisgraniis non receptus.

## §. XXXIV.

*Induciæ cum Turcis initæ.*

n. 71.  
Rayn. 1344.  
n. 1.

J. Vill. l. II.  
c. 23.

Rayn. 1345.  
n. 66.

Interim sacrum bellum in Turcas parum procedebat duce Delphino Humberto. Christiani adhuc tenebant Smyrnam: ubi 28 Martii hoc anno vitam posuit Venturinus Bergomas Dominicanus Vir vere Apostolicus; qui duos abhinc annos classicum cecinerat in Lombardia, & ab anno 1334 quam plurimis hominibus ad bonam frugem reductis famam ibi collegerat. Papa igitur gnarus Turcas offerre inducias, Delphino ita scripsit: Bello fere totus orbis Christianus adeo flagrat, ut, qui transmarinum iter Dei causa secum constituerant, sint impares solvendo voti fidem; ac decimæ, aliaque subsidia hanc ob rem imperata pendi nequeant. Quocirca non utiles solum, sed necessariae videntur induciæ, quarum meministi tuis in litteris. Et postea: Cum hoc bellum Turcis, non Græcis moveatur; post factas inducias non te immisceas rebus Cantacuzeni, aliorumve Græco-

Græcorum quos memoras. Nempe <sup>Sæcul. XIV.</sup>  
 Joannes Cantacuzenus adolescentulum A. C. 1346.  
 Imperatorem Joannem Palæologum im-  
 pugnat etiam Turcarum auxilio utens.  
 Papa epistolam dabat 28. Novembris.

## §. XXXV.

*Legati ad Armenos.*

Armenorum Catholicus seu Patriarcha <sup>Sup. § II.</sup>  
 nactus epistolam a Papa Benedicto  
 XII sibi anno 1341 scriptam, convocavit,  
 ut potuit, concilium, in quo damnaban-  
 tur errores ab eo enumerati: & cum de- <sup>Rayn. 1346.</sup>  
 creto hujus concilii ad Clementem VI <sup>n. 68.</sup>  
 misit quatuor Nuncios, scilicet duos E- <sup>Vad. eod. n. I.</sup>  
 piscopos Joannem Mercharium, & An-  
 tonium Trapezuntium, Fratrem Danie-  
 lem Ordinis Minorum, & quendam Vi-  
 rum nobilem Gregorium Zenguizium;  
 eosdem, quos Rex Armeniæ miserat an-  
 te biennium. Daniel sine dubio est au- <sup>Vad. 1344.</sup>  
 thor libri Rege jubente compositi ad <sup>n. I.</sup>  
 purgandos Armenos, qui etiamnum ser-  
 vatur Romæ. In epistola his Legatis  
 tradita Catholicus inquebat: Si libri <sup>Rayn. 1341.</sup>  
 nobis familiares continent alios errores <sup>n. 118.</sup>  
 contra fidem Ecclesiæ Romanæ, quam  
 agnoscimus principem Ecclesiarum o-  
 mnium: parati sumus eos rescindere, at-  
 que uti decretis, ac decretalibus, quibus  
 vos utimini, & quas nobis mitti suppli-  
 citer

Sæcul. XIV. A. C. 1346. *Rayn.* 1346. n. 69. citer cupimus. Papa reposuit: Ut discernere clarius, ac refellere facilius possitis errores cæteros, quos dæmon inter vos ferere conaretur, vobis ut Legatos mittimus Antonium Cajetæ Antistitem, ac Joannem electum Coronensem Episcopum una cum decretis ac decretalibus, quas postulastis. Oramus, ut eas audiatis dociles: atque, si vobis opus sit, præsidium, quantum possumus, pollicemur. Dabat ultimo Augusti anno 1346. Verum duo Legati tam cito profecti non sunt: quia traditum eis mandatum postremo tandem Novembris scriptum est.

*Ibid.* n. 67.

*Vading.*

1345. n. 8.

*Reg. p.* 328.

*Rayn.* 1346. n. 70.

Anno priore Papa per diploma 7 Augusti datum archiepiscopatum Seleuciensem Patriarchæ Antiocheno obnoxium Fratri Pontio ex Ordine Minorum contulerat. Sed postea comperit hunc Præsulem scripsisse atque Armeniace reddidisse explanationem Evangelii S. Joannis; in ea tueri condemnatum errorem de paupertate Christi; monstrasse illam multis in Oriente viris, ac ejusdem exemplaria distribuere. Proinde Sultaniæ Archiepiscopo, & Suffraganeis ejus scripsit in hæc verba: Sedulo in rem inquirete! Si vera est, prohibete sub pœnis, quas credetis idoneas, ne Christiani huic commentario fidem habeant, vel ejus doctrinam sacris, e pulpitis tradant: contra

contra vero rejiciendam dicite, ac redar- Sæcul. XIV.  
 guendam, utpote damnatam a Romana A.C. 1346.  
 Ecclesia! Archiepiscopum Pontium ad-  
 stringite, ut publice illam coram Clero ac  
 populo convocatis ejuret, atque contra-  
 riam affirmet in templis. Si obedire no-  
 lit, aut post ejurationem suam recidat,  
 monete hominem, ut intra menses qua-  
 tuor se nobis sistat. Dabat postremo Ju-  
 lii anno 1346. At difficilis effectum erat  
 executio talis citationis: & ecce incom-  
 modum missionum in terras tam longin-  
 quas! Audiit quoque Papa, Inquisitores  
 ex eodem Ordine Minorum parum face-  
 re adversus Fratricellos in ipsorum pro-  
 vinciis hærentes: quod non mirandum;  
 cum essent ejusdem instituti.

## §. XXXVI.

*Querelæ de Inquisitore Florentiæ.*

Florentinus Inquisitor erat Petrus Aqi-  
 lensis ex hoc ipso Ordine, homo su-  
 perbus ac pecuniosus, qui lucri gratia  
 Cardinalis Petri Gomesii Barrosii Hispani F. Vill. l. 12.  
 procuratorem agebat ad recuperandos c. 57.  
 duodecies mille florenos aureos, quos i- Vad. 1346.  
 sti debebat societas Acciajolorum fortu-  
 nis everfa suis. Ille per Magistratum  
 Reipublicæ in possessionem quorundam  
 societatis bonorum missus, ac prædem  
 nactus idoneum per tres apparitores  
 exeun-

Sæcul. XIV. A.C. 1346. exeuntem e palatio Silvestrum Baroncel-  
lum societatis membrum comprehendi  
curavit. Hinc oritur in foro tumultus:  
captivus apparitoribus eripitur: his am-  
putari manus, eosque ad decem annos  
exulare primores urbis jubent. Iratus  
Inquisitor, sibi que ipsi metuens Senas  
abiit; & anathema contorsit in primo-  
res Præfectumque Florentiæ; quam di-  
vinis interdictam reliquit, si sex intra  
dies ipsi non redderetur Silvester ca-  
ptivus.

Florentini ab anathemate ac interdi-  
cto appellantes ad Papam, miserunt A-  
ventionem sex Legatos cum Oratore Rei-  
publicæ. Ferebat quinquies mille florenos  
numeratos Acciajolorum nomine  
solvendos Cardinali: ac septies mille re-  
liquos certis spatiis pensum iri Reipubli-  
cæ nomine spondebat. Præterea exhibebat  
scripta testimonia, quæ Inquisito-  
rem faciebant repetundarum reum: pa-  
tebatque, ut ajebant, eum intra biennium  
plus septies mille florenos diversis a civi-  
bus obtentu hæresis exegisse. Et ta-  
men Joannes Villanus hoc loco testatur,  
nunquam alias Florentiæ pauciores fuis-  
se hæreticos. At pecuniæ conflandæ  
causa, subjungit ille, Inquisitor eum, qui  
vel minimam contra Deum vocem pro-  
tulerat, aut usuram esse noxam letalem  
negaverat, grandem ad summam, proat  
dives

dives erat, condemnabat. Legati a Pa-  
 pa & Cardinalibus comiter accepti, cum  
 in senatu publico Inquisitorem malæ fi-  
 dei ac repetundarum convicissent, obti-  
 nuere, ut censure, quas pronunciaverat,  
 suspenderentur.

Tum Florentini, sicut Perusiæ, ac in  
 Hispania, & alibi factum fuerat, sanxe-  
 runt, ut ne Inquisitor aliquis præter suum  
 officium alii se negotio immiscere, aut  
 privatum quenquam ad pœnam pecunia-  
 riam, sed ad ignem, si esset hæreticus,  
 damnare posset. Ademptus Inquisitori  
 carcer, quem Florentia ei concesserat:  
 statutumque, ut illos, quos in posterum  
 caperet, ad reos cæteros in carceres pu-  
 blicos mitteret. Decretum insuper of-  
 fensionem & querelarum ansas tollendi  
 gratia, ut nec Prætor, nec Administer ju-  
 stitiæ, nec ullus Magistratus Inquisitori  
 aut Episcopo petenti apparitorem daret  
 vel potestatem injiciendi manus in ci-  
 vem aliquem sine consensu primorum ur-  
 bis: ut Inquisitori habere sex tantum fa-  
 miliares instructos armis ad nocendum,  
 nec talia portandi copiam numero majo-  
 ri facere liceret: ut Episcopus Florenti-  
 nus duodecim, Fesulanus sex domesticis  
 contenti essent. Scilicet hanc etiam  
 dioecesim complectebatur Florentinum  
 territorium. At Inquisitor Petrus Aquilen-  
 sis plus ducentis quinquaginta civibus  
 arma

Sæcul. XIV.  
 A. C. 1346.



Sæcul. XIV. arma gerendi facultatem concesserat:  
A. C. 1246. quæ res ei quotannis ferebat mille florenos aureos vel amplius: ac Episcopis serviebat ad amicos sibi parandos.

Postquam Legati Avenione discesserant, res non habebat finem. Cardinalem Barrosium pactione, quam cum ipso fecerant, haud contentum etiam Inquisitor Avenionem profugus exacerbabat. Ergo ille a Papa obtinuit, ut Romanam ad curiam de integro citarentur Episcopus Florentinus, & cuncti Præsules, qui non observaverant interdictum, primoresque cum aliis Magistratibus urbis: quæ propterea contra Ecclesiam graviter commota Oratorem iterum ad curiam Romanam misit. Sed ideo præcipue accersebantur, quod Papa vellet Florentiam recantare quædam prioris anni edicta juribus Cleri contraria. Reapse 4 Apr. 1345 Florentiæ Magistratus per legem statuerant inter alia, ut Clericus, quicumque laicum in materia criminosa offenderet, sine respectu dignitatis in bonis suis, aut in corpore puniri posset a Magistratu profano; atque, ut quivis Clericus laicusve, qui sua in causa privilegium a Papa vel Legato aliquo impetraret, non audiretur ab ullo Magistratu; sed ii, qui sanguine illum contingerent, per manus injectionem in bona vel corpora sua cogentur eundem adducere, ut privile-

*J. Vill. l. 12.*  
*c. 42.*

vilegium abdicaret suum. Tales erant leges, quas Papa volebat tolli tanquam libertati ecclesiasticæ noxias.

Sæcul.XIV.  
A.C.1347.

§. XXXVII.

*Universitas Pragensis.*

Novus Romanorum Rex Carolus IV per decessum Regis Joannis parentis sui 26 Aug. 1346 in Cressiacensi prælio necati factus Bohemiæ Rex, ut hoc regnum illustraretur, Papam precibus permovit suis, ut Pragæ primaria ejus urbe Universitatem institueret, ibique tradidit facultates cunctas in posterum, ac Professores cum Academicis vellet frui privilegiis omnibus, quibus Universitates aliæ gauderent. Adjungit Papa: Qui litteras ibidem didicerint, docendique copiam & Doctoris titulum poposcerint, ducentur ad Archiepiscopum Pragensem: qui congregatis ejusdem facultatis Professoribus per se aut per aliud periclitabitur Candidati eruditionem; atque si solidam viderit, ei potestatem dicendi, nomenque Doctoris dabit. Diploma scriptum est 26 Jan. 1347. Rex Carolus, ut illo seculo, satis doctus in Germania & Lutetiæ sedulam litteris operam navarat: ac egregie conditam dotatamque novam Universitatem suam ita perficere curavit.

*Vita PP.*  
p. 253.  
*Trith. Chr.*  
*Hirs. an.*  
1346. 1360.  
*Rayn. 1347.*  
n. 11.

*Histor. Eccles. Tom. XXIII.* P p ravit,

Sæcul. XIV. ravit, ut quinquaginta per annos admo-  
A.C. 1347. dum floreret.

*Bibl. PP.*  
*Paris. to. 4.*  
*p. 1147.*  
*Duboulay.*  
*to. 4. p. 298.*

art. I.

3.

4.

5.

8.

II.

Eodem anno Doctores Parisini damnarunt errores Joannis Mercorini ex Ordine Cisterciensi: & cunctis prima donatis laurea, qui librum sententiarum explicabant, interdixerunt, ne illos traderent, alioquin privandi omni facultatis honore. Errores illi redacti sunt in triginta novem puncta, quorum alia falsa vocabantur, alia suspecta de hæresi. Ecce quædam, e quibus cætera conjicias. Christus per creatam voluntatem suam potuit velle aliquid, quod nunquam futurum erat. Quomodocunque velit Deus, vult efficaciter, ut ita sit. Deus vult istum hominem peccare, ac esse fontem, & ita vult, ut ei sit complacitum. Nemo peccat, dum vult aliter, quam Deus vult eum velle. Deus facit, ut malum, & peccatum detur. Qui peccat, voluntatem suam conformat ad divinam, & vult, sicut Deus vult eum velle. En effectus futilium quæstionum, malarumque subtilitatum tunc in scholis regnantium!

§. XXXVIII.

*S. Ivonis aliorumque Cœlitum apothefis describitur.*

Papa Clemens VI 16 Junii anno 1347  
Sanctorum numero adscripsit Ivonem  
Trec-

Trecorensem annos abhinc quadraginta quatuor mortuum, nempe 19 Maji anno 1303: & hac ex occasione indicandum existimo integrum ad apotheosin processum, qualem refert scriptor, qui tunc in aula pontificia rituum formulis præerat. Summam vide! Papa per viros graves edoctus quendam sanctitatis nomine celebrari, precibusque ardentibus ac repetitis sollicitatus, ut eum inter Cælites referat, rem Cardinalibus proponit: quorum de consilio in regione illius, qui sanctus dicitur, Episcopos, vel alios viros autoritate præditos jubet inquirere in ejus existimationem, & miracula, pietatemque populi erga illum. Hæc inquisitio debet esse generalis tantum, & in communem famam, non in res singulas, & veritatem; sed solum, ut constet, an inde veniendum sit ad indagationem singularem. Si ex illorum relatione Papæ sic videtur, eisdem, aut aliis præcipit, ut fidem, virtutes, ac miracula Sancti crediti perquirant secundum puncta sibi ab illo missa.

Acceptæ investigationis examen Papa committit Præfectis sacelli sui, aliisque viris idoneis, qui præcipua causæ capita inde forment. Tum Episcopo, Presbytero, & Diacono Cardinalibus rem totam tradit discutiendam, ac postea in senatu publico fusc lateque pertractandam.

P p 2

In

Sæcul. XIV.

A.C. 1347.

Sup. lib. 90.

§. 31.

Rayn. 1347.

n. 34.

n. 35.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1347.

In alia sessione leguntur testium verba de virtutibus & miraculis. Antequam procedatur longius, Papa cum Cardinalibus statuit, an perfectio vitæ satis ostensa fuerit. Postmodo recitantur testium dicta de miraculis: de singulis Papa decidit, an sint demonstrata satis: & Cardinalis scribit. Finito examine Papa quærit ex Cardinalibus an facienda sit apotheosis? Si affirmant, Papa eam secreto decernit: accersuntur cuncti Præsules in Romana præsentibus curia: his facta omnia in senatu publico Papa indicat: hos pariter sententiam rogat.

Deinde destinat diem & locum conventus Cardinalium, ac reliquorum curiæ suæ Præsulum, Cleri, & populi: feligitque septem aut octo Præsules, ut, palam verba faciant eo die, qui debet esse posterior spatio mensis circiter, ut habeant tempus se præparandi. Interim ad componendum officium de Sancto Papa duos designat Cardinales, quorum alter legenda ex vita ejus, alter responsa, antiphonas, & precationem conficiant. Cum illuxit præfixa dies, mane hora senatus Papa in trabea rubra cum infula margaritis distincta, Cardinales ac Præsules in veste consueta consilii conclave adeunt. Quibus ex Ordine, ut in senatu, confidentibus, Curator negotii ex adverso Papæ surgit: præmissis quibusdam

busdam codicis sacri verbis exponit ar-  
 gumentum; & Papæ supplicat, ut Præ-  
 sules id tractare paratos audiat, & illum,  
 de quo agatur, esse sanctum, Cælitum  
 albo inferendum, honorandumque a Chri-  
 stianis, ac ejus memoriam quotannis  
 certa die celebrandam declaret. Tum  
 delecti Præsules præscripto sibi per Pa-  
 pam ordine breves sermones habent:  
 quibus absolutis hic unius duorumve an-  
 norum, & quadraginta vel octoginta die-  
 rum indulgentiam largitus abit.

Secul. XIV.  
 A.C. 1347.

n. 38.

Posthæc Papa in senatu præfinit  
 diem ac templum peragendæ apotheosis  
 ceremoniæ. Dum adest dies, in templo  
 probe ornato collustratoque sedens ad a-  
 ram Papa hortatur populum ad preces  
 pro se fundendas, ut ne Deus ipsum hac  
 in re falli sinat. Cantatur deinde hy-  
 mnus: Veni Creator! submissis genibus  
 divinum præsidium imploratur: surgi-  
 tur: Papa illum, de quo agitur, palam e-  
 dicit esse sanctum colendumque ut talem;  
 & consecratum ei diem nominat. Tum  
 canitur hymnus Ambrosianus: Papa  
 pronunciat precationem de novo Sancto;  
 & concedit indulgentiam septem anno-  
 rum, ac septies quadraginta dierum: de-  
 nique in ejus honorem sacrificium solen-  
 ni ritu conficit.

n. 39.

Sæcul.XIV.  
A.C.1347.

§. XXXIX.

*Nicolaus Laurentius Tribunus populi  
Romani.*

Sup. §. 14.  
F. Vill. l. 12.  
c. 89.

Inter Romanos Oratores, per quos Clemens VI in principio pontificatus sui Romam invitabatur, erat Nicolaus Laurentius, Italice Nicolo di Rienzo, ac brevius Cola-Rienzo, filius molitoris, ac Romæ Notarius, vir eloquens & audax: qui magnum ad senatum die Pentecostes 20 Maji anno 1347 ibi habitum legationem Avenione per se obitam referens tantum adhibuit artificium, ut per acclamationem in Tribunum populi cooptaretur; ut subornati quidam de plebecula cum eo constituerant. In possessionem Capitolii plena cum potestate missus, mox Nobilibus Romæ ac viciniae Viris adempta penitus autoritate, illorum præcipuos, qui prædones illic & circumjectis in locis fovebant, captos tam severe habuit, ut de die ac nocte nemo non securus ultro citroque commeari posset.

Die festo S. Petri ad Vincula 1 Augusti novus Tribunus per Oratorem populi se armari Equitem in æde Lateranensi curabat: & quia hujus ceremoniæ initium ducebatur a lavatione, honoris causa se lavabat in labro, in quo Constanti-

RUS

nus per S. Silvestrum baptismate lustratus esse credebatur tum temporis. Ad solemnem hunc actum, quo armabatur Eques, numerosum duxerat comitatum: congregatoque populo sermonem habens agebat se facturum, ut tota Italia Romanæ in veterem modum sit obnoxia, & urbes libertate ac juribus fruantur suis. Tum recitari jubebat patentes litteras eodem die 1 Augusti scriptas in hanc sententiam.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1347.

Hocsem.  
Leod. l. 2.  
c. 35.

Ad gloriam Dei, Apostolorum Petri & Pauli, ac S. Joannis Baptistæ, ad honorem Sanctæ Ecclesiæ Romanæ matris nostræ, ad felicitatem Papæ nostri Domini, ad incrementum sanctæ urbis Romanæ, sacræ Italiæ, ac totius fidei Christianæ Nos Nicolaus candidatus Spiritus Sancti Eques severus & clemens, liberator urbis, studiosissimus fautor Italiæ, amator orbis, & Tribunus Augustus, ut imitemur libertatem veterum Principum Romanorum notum facimus universis, populum Romanum de sententia sapientium omnium agnovisse eandem penes se auctoritatem, potestatem, ac jurisdictionem in orbem totum, quam habuerit a principio, ac revocasse cuncta privilegia non sine damno auctoritatis suæ concessa. Nos igitur, ne doni & gratiæ Sancti Spiritus avari videamur & ingrati; populi que Romani ac Italiæ ju-



Sæcul. XIV.  
A. C. 1347.

ra labascere diutius patiamur: Romam esse principem orbis universi urbem, ac fundamentum totius religionis Christianæ, Italosque omnes liberos & cives Romanos pronunciamus.

Declaramus etiam Imperium & Imperatoris electionem pertinere ad urbem Romanam totamque Italiam: & cunctis Regibus, Principibus, & aliis, qui jus ad Imperium aut electionem Imperatoris sibi arrogant, denunciamus, ut se sistant nobis, aliisque Prætoribus Papæ ac Romani populi in Lateranensi templo S. Joannis futura Pentecostes die, quam illis pro qualibet dilatione præstituimus: alioquin agemus ex præscripto Juris, ac secundum gratiam Spiritus Sancti. Præterea nominatim Ludovicum Baviariæ Ducem, & Carolum Bohemiæ Regem, qui se dicunt electos Imperatores, cum quinque cæteris Electoribus ad nos citamus. Sed authoritati Ecclesiæ, Papæ, sacrique Collegii nihil omnino derogare volumus.

*J. Vill. sup.*  
*Rayn. 1347.*  
*n. 17.*

Eodem die Tribunus promulganda quoque curavit certa privilegia per Papam sibi concessa cum munere gubernandi Romam. Romani scilicet in Rectores urbis elegerant Raymundum Episcopum Urbevetanum, Papæ illic Vicarium in rebus sacris, & Nicolaum Laurentium; & Papa hoc eis officium confirmave-

maverat in tantum tempus, quantum si-  
bi placeret. At Nicolaus suis duntaxat  
privatis commodis intentus regimine ur-  
bis exclusit Episcopum: qui ejus moli-  
tionibus diutius ferendis impar discessit  
Roma. Hæc Papa ipse memorat in  
suis ad populum Romanum litteris: u-  
bi semper de Nicolao Laurentio loquens  
adjungit:

Non dubitat sacrilegas manus suas  
extendere ad usurpandas perperam ter-  
ras & jura Ecclesiæ; ac huic subjectos  
premere tributis novis. Et postea: Per  
contemptum Christianæ fidei prisca eth-  
nicorum ceremonias resumpsit, ineptas  
coronas varias accipiens. Revera Ni-  
colaus per Viros insignes primariis di-  
gnitatibus Ecclesiarum quinque sibi dan-  
das curavit totidem coronas diversis ex  
foliis, nimirum quernis, hederaceis, myr-  
teis, laureis, & oleagineis. Cum vero  
ethnici has arbores reputarent sacras  
certis Djis Deabusque: primi Christiani  
pro cultu falsorum Numinum habebant  
usum ejusmodi coronarum: ac Tertul-  
lianus peculiari eum libro tractavit.

Deinde Papa Caroli Luxemburgii,  
Ludovici Bavari, ac Electorum Imperii  
citationem a Nicolao Laurentio factam  
redarguens, ad Romanos inquit: Hic mi-  
ser haud considerat, quanta sic adulans  
pericula vobis accersat concitando in vos

Sæcul.XIV.

A.C.1347.

n. 18.

Hocsem.

p. 505.

Sup.lib.6.

§. 2.

De cor. mil.

**Sæcul. XIV.** indignationem Regis Caroli, omniumque  
**A.C. 1347.** Germanorum; & quantopere nostram  
 erga vos benevolentiam minuat, vos a  
 pietate in nos ac Ecclesiam avocare stu-  
**Rayn. n. 19.** dens. Scelestâ lingua violat Ecclesiam  
 universalem; dum hanc & urbem Ro-  
 mam esse rem eandem dicit: quapropter  
 se suspectum reddit de schismate ac  
**Alb Argent.** hæresi. Romanos Clericos extra urbem  
**chr. p. 140.** commorantes eo redire iussit affixo pa-  
 lam edicto. Scriptor coævus addit cre-  
 ditum Tribunum scripsisse Papæ Clemen-  
 ti, si Romam intra spatium anni non re-  
 veniret, necresideret inibi, fore, ut alium  
 Papam faceret cum Romanis.

**Rayn. n. 20.** Clemens pergit: Per Legatum no-  
 strum Bertrandum Cardinalem Presby-  
 terum de S. Marco moneri Nicolaum cu-  
 ravimus, ut has stultitias & hos errores  
 deponeret. At occalluit in superbia sua.  
 Itaque hortamur & suademus, ut omni-  
 no desistatis Nicolaum sequi, nullam ei  
 opem, & consilium præstetis nullum; sed  
 deserto homine permaneat obediens  
 Ecclesiæ filii, ut porro mereamini nostros  
 favores & gratias paternas. Dabat 3  
 Dec. 1347. At interea quidam Romani  
 Nobiles per Cardinalem Bertrandum in-  
 stigati conjuravere in Nicolaum Lauren-  
 tium: qui a populo destitutus relicta Ro-  
 ma 15 Decembris mari Neapolim fugit  
 persona-

**n. 21.**  
**Baluz. vit.**  
**p. 265. 884.**  
**Vill. l. 12.**  
**c. 104.**

personatus, & ad Ludovicum Hungariæ Regem transiit.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1347.

§. XL.

*Mors Ludovici Bavari.*

Eodem anno obiit Imperator Ludovicus Bavarus. Ut venandi studio ducebatur: 11 Octobris mane exhibat Monachio hilaris, ac de filio sibi recens nato lætissimus; & ursum insequebatur. Sed sub meridiem subito nervorum stupore seu apoplexia correptus ex equo cecidit inter suos duo ab illa urbe milliaria: & repente vitam amisit, postquam triginta tres annos ut Rex Romanorum, & undeviginti ut Imperator regnaverat. Mors ejus pro animadversione divina est habita: quia per aliquot annos constituti ab eo Prætores ac Judices opprimebant egenos, ac justitiam male administrabant. Ipse ac liberi ejus in suis itineribus per habitationes oneri magno erant Præfulibus, Ecclesiis, & coenobiis. Oderat Clerum sæcularem, & distitabat, si aurum accumulare ut lutum possset, haud conditurum se collegia Canonico- rum secularium. Ita decessit non exsolutus censuris sibi per Summos Antistites irrogatis: Monachii tamen primario in templo Dominæ Nostræ maximas inter ceremonias ut Imperator sepultus est

*Rebdorf.*  
*an. 1347.*  
*Alb. Argent.*  
*p. 141.*  
*Vill. l. 12.*  
*c. 105.*

Secul. XIV. est curis filii sui Ludovici Marchionis  
A. C. 1347. Brandeburgici. (\*)

## §. XLI.

*Joannes Patriarcha Constantinopolitanus gradu movetur.*

*Nici. Greg. l. 15. c. 5. 7.*  
 Anna Græcorum Imperatrix Cantacuzeni progressibus irritata suggerentem sibi pacis consilia Patriarcham Joannem Aprium adeo cœpit averfari, ut eum exauthorare statueret. Optimum id præstandi modum fore credidit, si protegeret Gregorium Palamantem, & hujus sectatores Montis Athonis Quietistas Patriarchæ infensos propterea, quod ipsorum tomum seu expositionem doctrinæ condemnasset. Tenebat Anna Palamantem inclusum carceri palatii; & ad monachos Montis Athonis scripserat rei causam esse nova dogmata, quæ docendo conturbaret Ecclesiam. Sed tum agere

(\*) Quisquis amat veritatem, legat, obsecro, Imperatoris Ludovici Bavari Defensorem firmissimum Herwartum ab Hochenburg, cujus opus numeris omnibus absolutum cunctis in bibliothecis majoribus habetur. Ad me quod attinet: si usquam, certe hic pauca non sufficiunt: multa vero non capit æquum notarum spatium.

gere prorsus alia; omni eum studio com-  
 plecti; ejus & doctrinam probare, & con-  
 filia aperte sequi. Experrecta protinus  
 & evagans late doctrina nova totam tur-  
 babat urbem: impugnabatur enim ab  
 Episcopis, Sacerdotibus, iisque cunctis,  
 qui religionem melius edocti erant: hinc  
 nascebantur contentiones assiduæ.

Secul. XIV.  
 A.C. 1347.

Imperatrix Nicephoro Gregoræ opi-  
 niones Palamantis novas proponebat,  
 consilium petens. Videbat illum Pa-  
 trum & conciliorum doctrinæ deditum  
 sine ullo sibi gratificandi studio: etsi Do-  
 minæ suæ præsentibus cuncti applaude-  
 rent. Igitur ira flagrans eum dimisit du-  
 riter, animi sensa scripto tradere jussum,  
 ut illi, qui cum ipsa sentirent, tanto ma-  
 gis ei refragari possent. Nicephorus  
 Gregoras, postquam ita se declaraverat,  
 quotidie mandatum exilii expectabat:  
 cum Cantacuzenus Constantinopoli po-  
 titus est. Nam per clandestinam prodi-  
 tionem noctu eam intravit 7 Febr.  
 1347, & ordine tam composito, ut nihil  
 sanguinis funderetur.

Nic. l. 15. c. 8.

Die priore Imperatrix detrahendum  
 de fastigio Patriarcham curaverat negle-  
 ctis monitis Arbitri conscientiae suæ mo-  
 nachi virtute præditi, quem ideo gratia  
 privabat sua. Convocabat igitur Epis-  
 copos, omnesque Palamantis fautores:  
 portæ palatii occludebantur cunctis Pa-  
 triar-

Cant. l. 3. c. 99

Nic. c. 9.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1347.

triarchæ defensoribus : ipse non admittebatur ad concilium ; sed vadimonii deferti damnabatur : & amotionis sententia non aliam continebat causam, quam quod Palamantem ac doctrinam ejus diris devoverit, atque tomum in ejus gratiam scriptum per tomos posteriores infirmaverit. Vespera Imperatrix eos, qui partem illa in actione habuerant, lauto accepit convivio : lætitia erat magna inter faceta dicteria cachinnosque parum modestos : sed quam sub finem noctis corruptit adventus Cantacuzeni : quem Imperatrix, cum aliquamdiu frustra restitisset, cogebatur agnoscere Imperatorem, sed in secundo gradu post se suumque filium.

*Cant. l. 4. c. 3.* Ille palatium ingressus exire hinc iussit captivos omnes quacunque de causa ibi detentos, excepto solo Patriarcha Joanne : quem adiit, & objurgavit, quod Imperatricem contra ipsum exacerbasset, ac civile fovisset bellum. Dein addebat : Non exhibitum esset tibi hac in re negotium ; nisi te Præsules exauthorassent, antequam intrarem Constantinopolim. At ob doctrinæ corruptionem, de qua te accusant Episcopi, te condemnassem, si convictus esses : si vero te purgasses, obstaret nihil, quin sedem reciperes tuam. Nunc, postquam Episcopi te damnarunt, eam reddere tibi nequeo. Permitto tamen,

men, ut te purges, si velis. Cum Pa-<sup>Sæcul. XIV.</sup>  
triarcha se id cupere dixisset, statuerunt A.C. 1347.  
diem, qua Episcopi convenirent in pala-  
tium. Itaque postquam dies advenerat,  
& Præsules cum probatissimis inter Mo-  
nachos, & cum spectatissimis e senatu  
congregati erant; accitus est Patriarcha,  
ut subiret iudicium. At recusabat: etsi  
pro more ter esset citatus; ac Imperator  
ipse illuc venisset.

Tum a motionem illius communi Præ-  
sules sententia statuebant, mandabant-  
que litteris; adjungentes decretum ad  
doctrinam pertinens, in quo cuncti de-  
clarabant, Acyndinum, & hujus partes,  
quarum esset Joannes, de religione opi-  
niones malas imbibisse; Palamantem ve-  
ro ac sectatores ejus loqui ac sentire in-  
star sapientium Theologorum. Haud  
multo post Palamitæ conquerebantur a-  
pud Imperatorem, quod Patriarcha Joan-  
nes quosdam Episcopos & privatos ho-  
mines ad partes suas traheret, ac se per  
injuriam gradu motum proclamaret: pe-  
tebant igitur, ut pelleretur ex urbe, at-  
que sic tolleretur dissidium obturbans  
Ecclesiam. Assentiens Imperator Pa-  
triarcham misit Didymoticum: & inde  
eodem anno Constantinopolim remisit  
semper captivum: ubi post decem ab a-<sup>Nic. l. 16. c. 4</sup>  
misso munere menses mortem oppetiit,  
annos



Sæcul. XIV. annos sexaginta quinque natus, quorum  
A.C. 1347. quatuordecim egerat ut Patriarcha.

## §. XLII.

*Palamas valet autoritate.*

Cum Palamantis sectatores Cantacuzeni res procedere vidissent, studebant sibi conciliare gratiam ejus: sed & Imperatricem Annam sibi benevolam reddere conabantur tam per Proceres ei adictos, quam per foeminas ejus domesticas. Cantacuzenum e longinquo sua insensa ut pertraherent; suffragabantur ei clanculum scriptis, variisque artibus: ac ejus ingressum in urbem vehementer adjuverant.

Palamas ejus Patriarcham facere, cum se ipsum haud posset, Isidorum voluit de præcipuis sectatoribus suis unum; qui primum Monachus, dein electus in Episcopum Monembasiæ; sed convictus errorum Palamantis, suo gradu & piorum coetu motus fuerat: ut docet tomus seu decretum synodicum Ignatii Antiocheni Patriarchæ scriptum mense Novembri, indictione decima tertia, sive anno 1344. Isidorus tamen evasit Patriarcha Constantinopolitanus: quæ res fuit causa schismatis in hac Ecclesia. Nam Præfulum plerique primo in templum Apo-

*Allat. lib.*  
*p. 188.*

Apostolorum, deinde in S. Stephani coenobium congregati Isidoro ibi & cunctis cum eo sentientibus interdixere sacrorum communionem; & subsignatam sententiam suam libere miserunt. Sollicitus a parte altera Imperator contempsit alios: alios bonis aut honoribus privavit: multos ex urbe expulit. Postmodum Antiochia, Trapezunte, Alexandria, e Cypro, ex Rhodo, & aliunde venerunt litteræ Isidoro, Palamanti, ac eorum sectatoribus sacras dicentium diras Præsum & Sacerdotum, qui doctrinæ Patrum adhærentes nova omnia respuebant.

sæcul. XIV.  
A.C. 1347.

## §. XLIII.

*Cantacuzenus Imperator.*

Cantacuzenus ornamenta imperatoria anno 1341 assumpsisse sibi haud contentus, 21 Maji an. 1346 rite se coronandum Adrianopoli curavit per Lazarum Hierosolymæ Patriarcham, qui multis cum Episcopis Constantinopoli se submoverat. At Isidorus & Palamitæ Cantacuzeno persuadebant, illum actum non fuisse satis authenticum, & iterandum esse Constantinopoli. Igitur ejus ceremonia fiebat 13 Maji an. 1347 in templo Blaquernensi: quia Sophiani latus corruerat: sedebant ibi simul duo Imperato-

Sup. §. 10.

Nic. l. 15.

c. 5. 11.

Cant. l. 3.

c. 92. l. 4 c. 4.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXIII. Qq res*

Sæcul. XIV. res Joannes Palæologus, & Joannes Cantacuzenus in suo uterque folio; ac tres  
A.C. 1347. Imperatrices, Anna Imperatoris adolescentis mater, Irene Cantacuzeni conjux, ac Helena horum filia, quæ Imperatori Palæologo nupsit 21 Maji.

*Nic. l. 15.*

*c. 13.*

*Cant. l. 4. c. 3.*  
*p. 717.*

Totum exercitum populumque omnem angebat anathema, in primordio belli civilis a Patriarcha Joanne pronunciatum in cunctos, qui Cantacuzenum agnoscerent Imperatorem, vel cum Palamante ac sectatoribus ejus haberent commercium. Quapropter novus Patriarcha Isidorus e suggestu publice legit absolutionem: quam ut irritam eludebant adversarii, ridiculum putantes ab homine plurium criminum reo absolvi alios. Loco Præfulum & Sacerdotum, a quibus se vitari cernebat, consecravit multos, qui credebantur indocti & inhabiles; & Palamantem de spe sedis suæ depulsum solatii causa inauguravit Archiepiscopum Thessalonicensem. At is præclusa sibi urbe, quanquam imperatoris instructus litteris erat, in Lemnum insulam se recipere cogebatur.

*c. 15. p. 76.*

Interim Cantacuzenus ad Clementem Papam tres Legatos misit, Georgium Spanopulum, seu Hispanici vestiarii Præfectum, Sigerum Prætorem populi, & Latinum quendam nomine Franciscum, qui diu serviebat Imperatori Græco, sed Pa-

pæ

*c. 9.*

pæ cognitus erat. Hanc per legationem cogitabat ex Papæ animo delere iniquas relationes sui cum Turcis foederis, quorum opem in bello civili poposcerat, & quibus dederat occasionem necandi vel in servitutem abstrahendi permultos Græcos: immo suarum etiam filiarum quandam Orchano illorum Sultano desponderat. Volebat ergo exponere Papæ, se necessitate belli hoc ad foedus inductum esse, nec religionem ibi partem habuisse aliquam. Deinde postulabat, ut declararetur Dux expeditionis bellicæ, quam Papa & Principes Occidentis contra ethnicos pararent: seque haud parum eo collaturum ajebat, si copiis permitteret liberum in Asiam transitum; & ipse illuc veniret. Gloriabatur enim se in studio tuendi nominis Christiani antecessorum nulli cedere. Papa exceptis optime Legatis se missurum Nuncios promisit, qui responsum ferrent. Scribebat 15 Apr. 1348.

Sæcul. XIV.

A.C. 1348.

## §. XLIV.

*Papa emit Avenionem.*

Eodem tempore Regina Neapolis Joanna Avenione agebat: quo perfugerat, ut devitaret insectationes Ludovici Regis Hungariæ, a quo dicebatur fuisse affinis cædi Regis Andreæ mariti sui,

Sup. §. 18.

J. VIII. l. 12.

c. 111.

Qq 2

cujus

Sæcul. XIV.  
A. C. 1348.  
cujus ille frater ac successor erat. Hoc ex jure is venit Neapolim: quam 23 Jan. 1348 ingressus per Legatos oravit Papam, ut Cardinalem Bertrandum suum in regno Legatum Siculam ipsi coronam imponere juberet, aut permetteret, ut ipse Avenionem iret coronam e sanctissimis manibus accepturus. Papa 7 Maji Legato fufe scripsit in hanc sententiam: Salvo officio haud possumus coronam Siculam concedere Hungariæ Regi, & adimere Reginae Joannæ, quæ ob Siciliam apud nos clientelam professa hoc regno se per hunc Principem exutam esse queritur. Nec damnata, nec convicta fuit cædis mariti sui Regis Andreæ: ac te primum, quando Joanna ibi morabatur, dein tres alios Cardinales, ex quo ea hic versatur, in rem inquirere volumus. Ad nos solos pertinet ultio hujus sceleris, & dijudicatio jurium ad hoc regnum. Si quod habere se credit Rex Hungariæ; non debuit mox adire possessionem; sed a nobis petere judicium, quod proni & faciles daremus. Hoc illi responsum reddes.

*Rayn.* 1348  
n. 3.

*Matth. Vil-*  
*lani l. i. c. 14.*  
18.  
At exeunte Majo Rex Ludovicus conscensa Baruli nave in Hungariam revertit: quod audiens Regina Joanna statuit redire Neapolim cum Ludovico cognato suo Philippi Principis Tarentini filio, cui nupsit post gratiam legis sibi a  
Clemen-

Clemente factam; & qui sibi adscripsit Sæcul. XIV.  
 titulum Regis Jerosolymæ, tum non ade- A.C. 1348.  
 ptus nomen Regis Siciliæ. Carentes  
 autem pecunia, neque subsidium ad sum-  
 ptum itineris a Papa vel Cardinalibus  
 consecutos necessitas coëgit jurisdictionem,  
 quam Regina Joanna ut Provinciæ  
 Comes in Avenionem habebat, octogies  
 mille florenis aureis Ecclesiæ Romanæ  
 vendere. In pactione 19 Junii an. 1348  
 scripta civitas Avenio dicitur vendita Gall. Ed.  
 cum omnibus suburbiis, toto territorio, 1715. to. I.  
 & finibus suis. Et quia beneficiario jure p. 822.  
 obstricta Imperio fuit, venditionem ratam Bal vitæ  
 habuit, & autoritate sua firmavit Im- PP to. I.  
 perator Carolus IV, qui concessit, ut p. 263.  
 Summi Pontifices hanc urbem tenerent  
 jure optimo, & tanquam terram omni-  
 no liberam.

§. XLV.

*Pestis generalis.*

Nonnulli celerem Hungarorum Regis  
 abitum credebant esse providam cau-  
 tionem pestilentiae totam invadentis Ita-  
 liam, horrificisque hunc annum cladi- M. Vill. c. 14.  
 bus foedantis. Mercatores illam ex O- c. 1. 2.  
 riente attulerant in Siciliam, & portus Rayn. 1348.  
 Hetruriæ. Florentiæ consumpsit inter n. 30.  
 alios Joannem Villanum, qui historiam Gesta Pond.  
 hujus Reipublicæ ab ejus principio usque Leod. v. 3.  
 p. 44.

Qq 3 ad

Secul. XIV.  
A. C. 1348.

ad hunc annum Italice scripsit a proba  
sinceritate sua commendandus. Opus  
continuavit Matthæus Villanus ejus fra-  
ter: quo teste pestis Florentiæ ab ineun-  
te Aprili usque ad initium Septembris  
haud paulo supra dimidiam incolarum  
partem abstulit. Ab Italia deinde in  
Franciam & Hispaniam, ac sequente bien-  
nio in Angliam, Germaniam, & ad Se-  
ptem Triones transit.

Rayn. n. 32.  
Cont. Nang.  
to. II. Spicil.  
p. 809.  
Vita, p. 265.

Christianos hac in calamitate publica  
solaturus Papa Clemens cunctis Sacer-  
dotibus concessit facultatem absolvendi  
ab omni peccatorum genere, ac plena  
noxarum venia impertiendi hoc corre-  
ptos malo; certasque indulgentias largi-  
tus est Sacerdotibus, qui Sacramenta pe-  
ste infectis administrarent, iisque omni-  
bus, qui eis officium charitatis aliquod  
præstarent, aut eosdem mortuos sepeli-  
rent. Diploma dabat 19 Maji. Specia-  
tim Avenione tum Medicos designavit,  
qui pauperes inviserent, tum alios con-  
stituit viros, qui eis ægrotantibus ades-  
sent, & vita functis justa persolvi cura-  
rent. Cum autem cœmeteria non cape-  
rent tot cadavera, campum spatiosum e-  
mit, quem hoc fine consecrari voluit;  
& qui vocatus est Campus floridus. No-  
xarum condonatio animabat ægros ad  
moriendum: & multi, cum hæredes suos  
dece-

decedere priores cernerent, bona sua tem- Sæcul. XIV.  
A. C. 1348.  
plis aut Religiosis donabant.

Multi Sacerdotes timidi gregum suorum curam remittebant Religiosis animosioribus. In nosocomio Parisiensi tanta erat strages hominum, ut per longum tempus ad cœmeterium SS. Innocentium quotidie in plaustris eveherentur corpora plus quingenta; numerus prodigiosus pro parvo spatio, quod tunc habebat Lutetia. Sacræ Deo Virgines ægrotis serviebant sine metu, consueta cum charitate ac modestia sua: multæ obibant: sed crebro succedebant aliæ. Hæc S. Ant. Chr.  
to. 3 p. 253.  
edit. 1586. pestilentia numerum ingentem Regularium absumpsit: ac pæne deserta manebant cœnobia: cui malo adscripta fuit disciplinæ solutio, maxime Mendicantes inter Religiosos secuta. Amissis enim Viris optimis, qui doctrina & exemplis suis monasteria sustentaverant, pestis præbebat ansam in victu cæterisque rebus remittendi de severa legum observatione: quæ post luem instaurari haud potuit præ tepore Fratrum, quin etiam Præsidium. Illustres inter Religiosos hac contagione interemptos notatur Geraldus Odo quondam Minorum Ordinis Minister Generalis, quem Papa Clemens anno Vading. sup.  
1342. n. 4.  
1348. n. 2. 1342 loco Isnardi fecerat Antiochenum Patriarcham honorarium, & intermisso brevi tempore Administratorem Ecclesiæ



*Sæcul XIV.* Catanensis in Sicilia, ubi morte occubuit.  
*A. C. 1348.* Bernardus Senensis conditor Ordinis  
*Ferrar. 22.* Montis Oliveti, cum suos Monachos vi-  
*Aug.* ginti septem annis rexisset, ac lue impli-  
*Sup. lib. 92.* citis succurreret, eadem afflatus & ipse  
*§ 48.* Senis ad Deum excessit 22 Aug. 1348.

*S. Ant. ibid.* Hæc pestis etiam sustulit Joannem  
*M. Vill. l. 1.* Andream Bononiæ celebrem Juris Ca-  
*c. 8.* nonici Doctorem, cui debentur decreta-  
 lium explanationes, amplioresque com-  
 mentarii. Postquam Florentiæ remise-  
 rat lues, & cives ex pavore receperant  
 animos: Magistratus ut incolas & famam  
 ejus auerent, statuebant instituere ibi  
 Universitatem, quæ Jura facultatesque  
 cunctas traderet. Hoc proposito per to-  
 tam Italiam divulgato delati eo Profes-  
 sores scientiarum artiumque omnium 6  
 Nov. eodem anno lectiones inchoarunt  
 suas. Florentini Avenionem quoque  
 missis Oratoribus ultimo Maji an. 1349  
 a Papa Clemente obtinuerunt diploma,  
 quo Florentiæ potestatem creandi Do-  
 ctōres Theologiæ ac omnium facultatum  
 contulit, eademque privilegia, quæ Pari-  
 sinæ, Bononiensi, aliisque Universitatibus  
 concessa fuerant.

## §. XLVI.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1348.*Episcopi extranei.*

Alphonfus Castiliæ Rex Papæ Clementi conquerebatur, quod is episcopatum Caurianum Compstellæ obnoxium extraneo dedisset. Papa reposuit: Nonne Apostoli, quibus Episcopi succedere, a Domino missi sunt extra regionem suam ad promulgandum aliis gentibus Evangelium? Num in Hispania natus erat S. Jacobus, qui veræ fidei lumen in eam intulit? Mirumne igitur, si Papa sequatur exemplum illius, cujus locum in terra tenet, & apud quem non est distinctio nationum, nec acceptio personarum; atque si deligat viros Dominico gregi ducendo habiles, quamvis exteros? Scribebat 18 Oct.

Rayn. 1348.  
n. 14.

Aliter differebat Papa S. Julius I, dum Orientis Episcopis exprobrabat alienam a legibus inaugurationem Gregorii intrusi in locum S. Athanasii. Antiochiæ, inquit, quæ triginta sex dierum itinere distat, Episcopi nomen accepit extraneus, & missus est Alexandriam. Ac postea: Mittitur illuc Gregorius non ibi tinctus fonte salutis, non ibi cognitus, non postulatus, vel a Sacerdotibus, vel ab Episcopis, vel a populo. Et iterum:

Sup. lib. 12.  
§. 25.  
to. 2. conc.  
p. 505. D.

Qq 5 Etiam-

Sæcul. XIV. Etiam si culpa resedisset in Athanasio, non  
 A.C. 1348. sic facienda fuisset consecratio contra  
 canones Ecclesiæ. Oportuisset, ut E-  
 piscopi provinciæ inaugurassent Virum e  
 Sacerdotibus aut Clericis ejusdem Ec-  
 clesiæ selectum. Sic loquebatur hic san-  
 ctus Papa; sed nempe mille annis Cle-  
 mente VI antiquior.

## §. XLVII.

*Judæi exagitantur.*

*Vitæ PP.* Populus cogitatione sibi fingebat Judæos  
 p. 254. 882. venenum in fontes ac puteos immit-  
*Cont. Nang.* tendo excitasse pestem: quo rumore dif-  
 p. 809. fuso multi concremati & interfecti sunt  
*Alb. Argent.* sine examine. Igitur in desperationem  
 p. 174. actæ matres, ne liberi sui post ipsarum  
 mortem baptismate aspergerentur, hos  
 primum, tum se ipsas in rogos injecerunt  
 cum maritis suis comburendas. Late  
 per Germaniam hæc Judæorum cædes fa-  
 ctæ sunt; nulla vero Avenione: ubi duas  
 Papa litteras edidit; & priores quidem  
 4 Julii, quibus vetabat, nequis Christia-  
 norum Judæos ad baptismum compelle-  
 ret, aut perimeret, aut vulneraret, aut  
 pecuniis exueret sine sententia a loci Do-  
 mino lata. Per alteras 26 Sept. scriptas  
 declarabat, Judæos sine ratione ulla dici  
 authores pestis; quippe quæ non minus  
 fureret in regionibus, ubi Judæi daren-  
 tur

*Rayn.* 1348  
 n. 33.

tur nulli. Quocirca mandabat Episcopis, Sæcul. XIV.  
A.C. 1348.  
ut curarent in templis sub fulminis Ro-  
mani poena edici, nequis Judæos occide-  
ret, aut verberaret; sed siquis cum Ju-  
dæo haberet controversiam, in jus eum  
vocaret. At istæ inhibitiones non impe-  
diebant, quin illæ violentiæ sequente an-  
no continuarentur, præsertim in Ger-  
mania.

## §. XLVIII.

*Partes Ludovici Bavari se Papæ  
submitunt.*

**M**ors Ludovici Bavari sustulit pleras-  
que difficultates, quæ Carolo Lu-  
xemburgio obstiterant, ne agnosceretur  
Imperator. Sed una maximarum fuit  
forma absolutionis a censuris, in quas in-  
currerant Ludovici partes. Quinto de-  
cimo Februarii an. 1348 Papa Balduino  
Trevirensi Archiepiscopo misit exemplar  
professionis fidei ac juramenti, recitan-  
dum iis, qui absolvi cuperent. Illius  
summa hæc erat: Credo Imperatoris non  
esse, ut Papam gradu moveat, eligat-  
que alium: sed id habeo pro hæresi.  
Præterea juro me fideliter obtemperatu-  
rum Ecclesiæ ac SS. Domino nostro Pa-  
pæ Clementi VI, & speciatim in iis, quæ  
statuerit de rebellionibus, aliisque noxis,  
quas

Sæcul. XIV. A.C. 1348. quas commisi, ac de pœnis, in quas in-  
curri. Obediam Carolo Romanorum  
 Regi per Ecclesiam approbato. Ludovici viduæ ac liberis, quamdiu in seditione perstabunt, non adhærebo, nec ullam opem feram. Denique nullum deinceps agnoscam Imperatorem, quem Ecclesia non confirmaverit.

*Alb. Arg.*  
 p. 142.

p. 143.

Simile mandatum Papa Bambergensi Episcopo misit per Præpositum hujus Ecclesiæ Marquardum Randecium: qui Avenione rediens Basileæ incidit in Imperatorem Carolum huc delatum eodem die 20 Decembris præcedente festum S. Thomæ. Carolus mandatum mox Episcopo Bambergensi, cui hoc Papa inscripserat, & Argentinæ, Wirzeburgi, ac Basileæ Præsulibus (nam omnes quatuor hac in urbe aderant) afferri jussit. Sed forma ejurationis dura videbatur: & quidam Carolo authores erant, ut ne illam acciperet, sed occultaret; & aliam a Papa posceret. Timebatur, ne Basilea renueret Imperatori jurare fidem, nisi tolleretur interdictum: proin mandatum fuit exhibendum. Urbanus Prætor cum Consulibus se sistebat Carolo ac Episcopis; & Bambergensem alloquens Germanice agebat: Nos, ut scias, sentimus aliter; neque credimus demortuum Imperatorem Ludovicum fuisse unquam hæreticum. Romanorum Regem, sive Impera-

peratorem agnosceremus illum, quem Ele-<sup>Sæcul. XIV.</sup>  
ctores cuncti, vel plures numero nobis de-<sup>A.C. 1348.</sup>  
derint; etiamsi confirmationem nunquam  
a Papa peteret: nec aliud unquam  
contra jura Imperii ullo agemus modo.  
At si Papa tibi fecit copiam remittendi  
nobis omnia peccata nostra, absolvi cu-  
pimus. Tum ex consensu populi Præ-  
tor idem & alius quidam Eques jusju-  
randum cum mandato congruens dixe-  
runt præsentem Joanne Pistorino Papæ  
ministro a Secretis. Ita sublatae sunt  
censuræ: atque solitum cives jusjuran-  
dum Imperatori dabant: qui Basileensi  
Episcopo, & Abbati Murbacensi fundos  
possidendos tribuit. Christi natali die  
Imperator in sacrificio sub primam auro-  
ram Evangelium contenta legit voce nu-  
datum manu gladium tenens, ac divinam  
suscepit dapem. Postero die S. Stephani  
Basilea discessit.

Interea Principes Carolo adversan-  
tes Guntherum Schwarzenburgium Thu-  
ringiæ Comitem bellicis laudibus abun-  
dantem, qui Henrico Moguntino Archie-  
piscopo, ipsique Imperatori Ludovico Ba-  
varo servierat, ut Imperii clavum accipe-  
ret, oraverunt. Recusabat initio: at de-  
nique consensit, si Principes & Optima-  
tes Francofordiæ palam & aperte Impe-  
rium vacans declararent; & ipse per ma-  
jorem Electorum partem cooptaretur.

p. 150.

Et

Sæcul. XIV.  
A.C. 1349

*Gold. Const.*  
*no. 2. v. 414.*

Et vero Guntherum die Lustratæ Virgini-  
nis 2 Febr. 1349 Henricus Moguntinus  
Archiepiscopus, Ludovicus Marchio Bran-  
deburgicus, Rudolphus Comes Palatinus  
Rheni, ac Henricus Saxoniae Dux Re-  
gem elegerunt; atque post sex hebdo-  
mades recepit Francofordia. Ibi 10 Mar-  
tii composuit edictum hujusmodi: An-  
tecessor noster Imperator Ludovicus feli-  
cis memoriæ legem tulit, ut ille, qui Fran-  
cofordiæ per Electores aut majorem  
eorum partem cooptatus esset in Regem  
Romanorum, plenam Imperii administra-  
tionem haberet ante Papæ confirmatio-  
nem. Hanc legem de consilio nostro-  
rum Principum sacrorum profanorumque  
per edictum præsens renovamus & ra-  
tum facimus: irrita simul declaramus o-  
mnia acta contraria, nominatim decreta  
Paparum quippe repugnantia doctrinæ  
Christianæ & Apostolicæ: cum omnes  
leges divinæ & humanæ Papam ipsum  
submittant Imperio: sed Imperator pro-  
fanis in rebus nec Papæ, nec ulli in terra  
homini sit obnoxius.

*Alb. Arg.*  
*p. 151.*

*p. 152.*

Guntherus Francofordiæ continenter  
commorans ineunte Majo decubuit æger,  
ac medicinam sumpsit, quæ veneno in-  
fecta credebatur: quia medicus, qui eam  
prægustaverat, intra triduum decessit;  
& Guntherus ipse mox inflatus usum  
manuum, quarum nervi contrahebantur,  
perdi-

perdidit. Itaque transegit cum Carolo, Sæcul. XIV. A.C. 1349.  
 cui suum jus ad Imperium cessit, & ~~post mensis spatium e vita demigravit.~~

Pactionis hujus author fuit Ludovicus H. Rebdorf. p. 435.  
 Bavarus extincti Imperatoris filius

natu major, tunc ab Imperatore Carolo confirmatus in possessione marchiae Brandeburgicæ a patre suo sibi tradita. Cu. Dubal. 22. p. 181.

jus rei causa Carolo dabat reliquias, quas Imperatores suis successoribus destinare consueverant; nempe gladium Caroli Magni, hastam, qua Longinus fixerat Christi pectus, crucis dextrum latus cum uno clavo, & mantile, quod ad dominicam Coenam adhibitum ferebatur. Reliquiæ istæ maximo erant in pretio.

Interim 18 Martii Papa duobus Archiepiscopis Balduino Trevirensi, & Gerlaco Moguntino mandatum misit simile illi, quod ante annum eidem Balduino ac Episcopo Bambergensi miserat. Sed Moguntinis, qui errasse se in fide confiteri nolebant, ejurationis formulam nimis acerbam reputantibus, Carolus Imperator Papam rogavit, ut mitiorem præscriberet. Qui 6 Junii respondit, non facile mutandam esse illam formulam Joannis XXII tempore compositam & observatam: se tamen cum Cardinalibus hac de re consultaturum.



Sæcul. XIV.  
A.C. 1349.

§. XLIX.

*Fratres Minores redeunt ad officium.*

*Rayn.* 1348.  
n. 21.  
*Id.* 1349. n. 16

*Vad.* 1347.  
n. 22.

*Vad.* 1348.  
n. 10.

*Vad.* 1349.  
*Id. Script.*  
p. 259.

In Germania restabant Fratres Minores addicti partibus Ludovici Bavari: multosque anno priore ab agnoscendo Imperatore novo averterant contumaciores: ut docet epistola, quam Papa 25 Maji an. 1348 ad eorum Ministrum Generalem dedit. Sed hoc anno pauculi schismatici reliqui Monachii hærentes convertebant se ad comitia Ordinis generalia; & absolvi a censuris cupiebant, in quas incidissent: ipse Guilielmus Ocamus inter eos eminentissimus ad Ministrum Generalem remisit vetus sigillum Ordinis, quod diu asservaverat. Igitur rogatu Fratrum, qui anno 1348 Veronæ comitiis intererant, Papa per litteras 8 Jun. 1349 scriptas Ministro Generali fecit copiam absolvendi poenitentes illos post ejectionem, cujus formulam prioribus similem mittebat, solum addens, ut diserte detestarentur errores Michaëlis Cæsena-tis. Hic autem 29 Nov. 1343 Monachii vitam finierat, ut ajunt, poenitens.

§. L.

§. L.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1349.*Novi Flagellantes.*

Cum pestis abiisset e Germania, flagellare se palam cœpit populus per causam placandæ iræ divinæ. Medio Junio hujus anni 1349 e Suevia Spiram *Alb. Arg. p. 149.* venerunt ducenti cum duce duobusque aliis Magistris, quibus per omnia gerebant morem. Primo mane transiere Rhenum: & accurrente populo ante templum formabant grandem circulum, cujus in medio detractis sibi vestibus & tibialibus tantummodo servabant quoddam interiorum femoralium genus usque ad talos demissum. Tum intrabant circulum: quem postquam obierant, alterni se prosternebant brachiis in crucis formam extensis: sequentes transibant priores, & flagellis leniter tangebant suis: dein surgebant isti, ac præteribant se ipsos suis cædentes flagris habentibus nodos quaternis quemque aculeis instructos ferreis: interim cantabant Germanice, ac sæpe invocabant Deum. Tres validissima præditi voce subsistebant recti medio in circulo: præfiniebant reliquis sonorum gradus: ac se verberibus cruentabant. Cum omnes genibus initerentur, edito certo signo pronis in humum corporibus ad modum crucis ab-

*Hiß. Eccles. Tom. XXIII.* R r jecti

Sæcul. XIV. jecti crebros inter singultus fundebant  
A.C. 1349. preces: circumeuntibus a Magistris ad-  
 monebantur, ut divinam implorarent  
 clementiam pro populo, pro bene de se  
 meritis, pro sibi malefacientibus, pro  
 cunctis fontibus, pro animabus inter pia-  
 culares flammis detentis. Tandem in  
 pedes erecti se vestitum ibant: & qui eo-  
 rum vestes ac farcinas custodierant, suis  
 vicibus tantundem faciebant.

Postremo surrexit quidam, & grandi  
 voce legit epistolam, quam Angelus in  
 templo S. Petri Hierosolymæ deposuisse  
 ferebatur. Memorabat illa Christum  
 humano generi iratum esse ob impia in  
 cœlum verba, usuras, adulteria, ob jeju-  
 nium diebus Veneris non servatum, ob  
 violatam dominicam, aliaque crimina;  
 eundem SS. Virgini & Angelis misericor-  
 diam flagitantibus respondisse per trigin-  
 ta quatuor dies cuique exulandum domo,  
 ac tergum flagris verberandum esse.

Flagellantes a Spirensibus tam bene-  
 vole recepti sunt, ut hi certatim eis offer-  
 rent hospitium. Stipem illi accipiebant  
 quidem, non vero in privatum bonum,  
 sed in commune, ut emerent tædas &  
 vexilla: nam pretiosissima tenebant. In-  
 vitati tamen ad mensam veniebant per-  
 mittentibus Magistris suis. Bis de die  
 se castigabant, inane ac vesperi, tam in  
 urbibus, quam ruri, & semel noctu secre-  
 to.

to. Cum fœminis haud loquebantur: Sæcul. XIV.  
 nec in lectis plumeis cubabant. Cuncti A.C. 1349.  
 cruces rubras in pileo, & nigra veste sua  
 gerebant ante ac pone; item flagrum e  
 cingulo pendulum. Non diutius una no- *Vitæ PP.*  
 cte in ulla parœcia manebant, excepta *to. I. p. 319.*  
 dominica, qua duas noctes commora-  
 bantur.

Amplius centum Spirenses, Argenti-  
 nenses mille circiter illorum sodalities se  
 adjungebant, spondentes obedientiam  
 eorundem Magistris per dies triginta qua-  
 tuor præstandam: nec enim, nisi hac  
 conditione, admittebatur quispiam. Præ-  
 terea cuique tantum pecuniæ habendum  
 erat, ut saltem quatuor denariorum sum-  
 ptus quotidie posset facere, ne petere sti-  
 pem cogeretur: & quilibet debebat as-  
 severare, se peccata sua confessum fuisse  
 acerbo cum dolore, ignovisse inimicis  
 suis, & ab uxore sua impetrasse consen-  
 sum. Denarius illius temporis valebat *Leblanc.*  
 novem Gallicos: ideoque illi quatuor *p. 245.*  
 conficiebant tres asses monetæ Gallicæ.  
 Argentinæ Flagellantium numerus eva-  
 sit tantus, ut iniri haud posset. Exem- *Rehdorf.*  
 plo tractæ mulieres usque ad pectus ex- *1347. p. 440.*  
 utæ se castigabant ut viri. Pietati se  
 admiscebat superstitio. Flagellantes mu-  
 tuo absolvebant, ut putabant, a peccatis  
 socios: gloriabantur per se miracula edi, *M. S. ap.*  
 pellique dæmones: ducebant secum fœ- *Rayn. n. 19.*

R r 2

minas,

**Sæcul XIV.**  
**A. C. 1349**

*Alb. 150*  
*Vita PP.*  
*p. 316.*  
*Rayn. n. 20.*

minas, quæ se liberatas tam male hospitio perhibebant.

Multi Religiosorum Mendicantium, & Sacerdotum improbabant hujusmodi afflictiones: & Papa rem edoctus vulgabat litteras ad Archiepiscopum Moguntinum & Suffraganeos ejus scriptas in hanc sententiam: In Germania, & circumjectis regionibus, ut comperimus dolentes, nomine pietatis & Numinis propitiandi caput extulit superstitio, profanæ hominum simplicium multitudini afflata per deceptores, qui perhibent Dominum Nostrum Jerosolymæ spectabilem Patriarchæ quædam dixisse. Sed a longo tempore Patriarcha ibi nullus adfuit, & quæ audiisse fertur, absurda sunt, immo sacris litteris contraria. Fabula tamen misellos homines illos ad insaniam adegit tantam, ut turmatim divisi quidem, sed per omnia conspirantes vagentur variis in regionibus; alios omnes contemnant; sine permisso cujusquam superioris, & contra edicta tales societates prohibentia vitam singularem ducant; & sua ex autoritate faciant decreta & præscripta rationi minime consentanea. Quidam Religiosi præsertim Ordinum Mendicantium, quod nos potissimum affligit, eorum exemplo falli & abripi se patiuntur, atque pro illis e suggestu dicunt.

Idcirco

Idcirco mala, quæ hujusmodi coetus sæcul. XIV. A.C. 1349.  
 Ecclesiæ ac Germaniæ afferre possent, præventuri mandamus, ut eos palam de-  
 nunciatis reprobatos & illicitos; monea- n. 21.  
 tisque ac hortemini Christianos omnes  
 Clericos laicosque hac superstitione im-  
 butos, ut se inde submoveant. Si non  
 faciant, eo compelletis illos per censuras  
 ecclesiasticas, & civili jurisdictioni vestræ n. 22.  
 subditos per poenas profanas. Religio-  
 sos cæterosque, qui hos errores authori-  
 tate sua firmant, ac e pulpitis commen-  
 dant, vel disseminant, captos detinebitis  
 usque ad novum imperium. Non tamen  
 obstamus, quin Christiani dependant pœ-  
 nas sibi legitime injunctas, aut quas pie-  
 tatis causa, & recta voluntate suscipient  
 in domibus suis vel alibi sine superstitioni-  
 bus cætibusque supra memoratis. Hæ  
 litteræ datæ sunt 20 Oct. 1349; & in-  
 veniuntur etiam Archiepiscopo Magde-  
 burgenfi ac Suffraganeis ejus inscri-  
 ptæ.

Parisiinus Rector & alii designati pro- Duboulat to. 4. p. 314.  
 tulere sua sensa de Flagellantibus; quæ  
 discussa probavit tota Universitas in con-  
 ventu generali die Martis post festum  
 Sanctorum Omnium tertio Novembris Cont. Nang. p. 811.  
 eodem anno. De consilio Parisiensium  
 Doctorum Theologiæ Rex Philippus ve- Radulfi Pontif. Leod. c. 3.  
 tuit sub poena mortis, ne Flagellantes in  
 Franciam venirent: iidemque Doctores

R r 3 erant,

Sæcul. XIV.  
A.C. 1350.

erant, per quos Papa hanc superstitionem novam plane comperit: miserunt enim, qui eam illi describerent. Flagellantes inter alias ineptias perhibebant, sanguinem, quem largiter profunderent, permisceri cum sanguine Christi ad noxarum remissionem.

## §. LI.

*Sacer annus millesimus trecentessimus quinquagesimus.*

Rayn n. II.  
Sup. §. 14.

Quia proximus annus hujus seculi quinquagesimus per editam sanctionem futurus erat sacer: Papa Clemens ejus memoriam nenovaturus 18 Aug. 1349 ad omnes Episcopos dabat litteras diploma 27 Jan. 1343 scriptum continentes, addito solo præcepto promulgationis in diocesis, ut Christiani ad obtinendam peccatorum, poenarumque veniam se præpararent.

M. Vill. c. 56.

Effectus erat magnus, mirusque Romam peregrinantium concursus. Initium Indulgentiæ fiebat die Christi natali anno 1349: quo die coeptus est numerari annus 1350: etenim hoc a festo annum ordiri solebat Roma: ut apparet ex diplomate primi anni sacri, nempe 1300. Asperrimum anni 1350 frigus vincebat pius ardor & patientia peregrinantium

Sup. lib. 89.  
§. 69.

nantium tanta, ut nec glacies, nec nives, Sæcul. XIV.  
 nec aquæ, nec viæ ruptæ a progressu il- A.C 1350.  
 los arcerent. Affluebant istæ diu noctu-  
 que viris ac foeminis omnium ordinum.  
 Cauponæ aliæque domus ad viam positæ  
 non capiebant homines ac equos. Ger-  
 mani & Hungari gelu ferendo affuetio-  
 res foris hærebant conglobati per ingen-  
 tes turmas inter ardentes rogos amplissi-  
 mos. Caupones erant impares non so-  
 lum præbendo tot hospitibus pani, vino,  
 & avenæ, sed etiam recipiendis pecuniis:  
 ac sæpe contigit, ut peregrini suum iter  
 profecuturi symbolam suam relinquerent  
 in mensa, & nemo prætereuntium eam  
 tangeret, donec veniens caupo eandem  
 acciperet. In itinere nec tumultus, nec  
 querimonix audiebantur: sed alii aliis  
 indulgebant, afferebantque opem ac so-  
 latia charitatis & patientix pleni. Re-  
 gionis prædones quidam cœperunt ex-  
 pilare aliquos & occidere: sed ipsi pe-  
 regrini mutuo sibi succurrentes necabant  
 illos vel capiebant: & locorum incolæ  
 viis apponebant custodias.

Peregrinantium numerus haud iniri-  
 posse videbatur: at Romani decies, un-  
 decies, duodecies centena circiter illo-  
 rum millia natalibus Christi feriis, ac per  
 tempus verni jejunii ad Pascha usque  
 continenter fuisse Romæ censebant, &  
 anniversariis Ascensus Domini ac Pente-



Sæcul. XIV. costes diebus plus octingenta millia. Sed  
A. C. 1350. postquam venerat æstas: ob frugum & fructuum perceptionem, caloremque nimium multitudo peregrinantium decre- scere cœpit: attamen minimum ducenta exterorum millia numerabantur. Ro- mæ vici semper tam pleni erant, ut tur- bam deberent sequi pedites, equitesque. Peregrini tribus templis singulis, quæ ob- ibant, quotidie dabant munera, hic mi- nus, ille majus pro pietate sua.

Dominica quinta verni jejunii pri- mum monstrabatur Christi sudarium, seu imago, quam Veronica tulit: tum vero frequentia fuit tanta in templo S. Petri, ut complures suffocarentur in præsentia mea, inquit Henricus Rebdorffensis mo- nachus: qui sic indicare videtur, tunc temporis nomen Veronicæ attributum esse sceminæ, quæ sanctam Domini No- stri faciem in sudario ferens exhibebatur a pictoribus; & quæ postea credebatur fuisse reapse mulier & sancta. Sed Ve- ronica est vera icon sacri vultus, quæ in- de a tempore Papæ Innocentii III voca- ta fuit Veronica. Matthæus Villanus addit, cum in solatium peregrinorum sin- gulis dominicis, ac solemnioribus diebus ostenderetur sacrum sudarium, interdum homines duodecim circiter in confertissi- ma turba obtritos esse.

*Chaslett.*  
*martyr. 13.*  
*Jan. p. 205.*

*Sup. Lib. 76.*  
*S. II.*

Omnes

Omnes Romani agebant caupones, domosque suas commodabant advectis per equos peregrinis, qui diversorium pro se ac jumentis suis compensare mercede maxima jubebantur. Præterea quia peregrini prospicere de victu sibi debebant; Romani, cum alimenta ubertim & parvo pretio acquirere possent, per malignitatem suam toto anno panem, carnes, ac vinum care admodum venundabant, & negotiatores ea deferre foris vetabant, ut sua pluris venderent. Sub finem anni sicut in principio peregrinantium multitudo erat major: & tum veniebant nobiles, ac illustres Italiæ, aliarumque regionum viri ac foeminæ. Ultimis diebus condonatum est cunctis Romæ versantibus, quod de tempore obeundarum stationum eis deerat: quæ illis gratia fiebat ideo, ut omnes indulgentiam consequi possent.

Inter hujus anni cursum Cardinalis Annibal Cecanus Tusculanus Episcopus Romam ut Legatus venit, tranquillitati publicæ, ac peregrinorum commodis provisurum. At Romani haud æquis ferebant animis, quod is stationes obeundi tempus contraheret, ac peregrini Romæ brevius commorantes sumptum minorem facerent. Haud semel, cum in ædibus esset suis, huc sagittas illi mittebant, insultabant ejus domesticis, ac per

Rr 5 urbem

Sæcul. XIV.  
A.C. 1350.

Rayn. n. 3. 4.  
M. Vill. l. I.  
c. 88.

**Sæcul. XIV** urbem euntes invadebant. Indignatus  
**A. C. 1350.** Annibal Roma abiit in Campaniam: sed  
 in itinere obiit veneno petitus cum suorum pluribus.

**Rayn. 1349.** Inter Principes alios Castellæ, Arragoniæ, Lusitaniæ, ac Cypri Reges, & Austriæ Dux exponebant Papæ se non posse adire Romam indulgentiæ obtinendæ causa: sed alio eam modo nancisci cupiebant. Papa distulit responsum: folique Duci Austriæ Alberto dici curavit, se cum Cardinalibus hac super re delibaturum.

**Id. 1350.**  
**n. 2.**

Deinde Regi Cyprio Hugoni ita scripsit: Cardinales Fratres nostri hanc indulgentiam non tantum salutis animarum, verum etiam honori Coelorum destinatam esse considerantes neutiquam consenserunt, ut cuiquam concederetur præterquam iis, qui obirent eorum templa. Dabat 14 Aug. Postea Joanni Archiepiscopo Brundusino suo in Sicilia Internuncio permisit, ut indulgentiam anni sacri largiretur triginta hominibus, ea lege, ut, revera si statuissent Romam petere, ac per impedimenta legitima detenti essent, pecuniæ summam, qua sumptus itineris æstimarentur, solverent propagandæ fidei, aliisque piis operibus pro Papæ arbitrio impendendam.

**Mar. l. 16.**  
**c. 15.**  
**M. Vill. l. I.**  
**c. 41.**

Castiliæ Rex erat Alphonfus XI cognomine Justus. Haud cogitabat ob indulgentiam ire Romam, ab anno priore  
 in

in oppugnanda Gebaltarica occupatus: Sæcul. XIV.  
 quam capturus jam erat: quando pesti- A. C. 1350.  
 lentia gravissime suas in copias sæviente  
 correptus & ipse occubuit 26 Martii an-  
 nos triginta octo natus. Si per vitam li-  
 cuisset, Mauros ex Hispania omnes ex-  
 pulsurus fuisse creditur; magnus profe-  
 cto Princeps, nisi per annorum viginti  
 quatuor concubinatum cum Eleonora  
 Gusmana virtutes obscurasset suas. Suc-  
 cessorem habuit suum filium Petrum  
 quindecim habentem annos cognomento  
 postea crudelem.

## §. LII.

*Papa per Nuncios consilia confert  
 cum Imperatore Cantacu-  
 zeno.*

Interim Papa Nuncios Constantinopo-  
 lim misit, ut Imperatori Cantacuzeno  
 sponderat anno 1348. Hi Nuncii *Sup. §. 42.*  
 fuere Guilielmus Emergatus ex Ordine *Vading.*  
 Minorum Kiffauræ in Creta Præsul, & *1349. n. 12 &*  
 Gaspardus sive Hugo Spertius Domini- *Reg. n. 193.*  
 canus Cenedæ in Marchia Tarvisina E- *Rayn. 1350.*  
 piscopus. Idibus Februarii anno 1350. *n. 28.*  
 Papa eis mandatum dedit, ac duas epi-  
 stolas eodem die scriptas, ad Cantacu-  
 zenum alteram, alteram ad Assanum  
 Constantinopolis Præfectum. Optime  
 illos

Sæcul. XIV. illos excepit Cantacuzenus : qui sua in  
A. C. 1350. historia sic de iisdem loquitur.

*Lib. 4. c. 9.*

Papa, cum Imperatoris Legatos omni honore congruo acceptos remitteret, adjunxit eis duos Episcopos plurimis ornatos virtutibus, & in litteris humanis perfectos : quæ illos in congressu suavissimos, & ad persuadendum maxime idoneos reddebant. Et vero volupe Imperatori erat quotidie cum eis colloqui : ac illi ea, quæ ad suum negotium pertinentia quovis die ab ipso audierant, perquam accurate scribebant omnia, ut ad Papam referrent. Et postquam memoraverat ea, quæ Nuncii tam de bello contra ethnicos, quam de consensu Ecclesiarum Papæ nomine proposuerant; addit: Imperator ante omnia significabat gratum erga Papam animum pro tanto ejus in se amore, & pro voluntate frangendi vires hostium Christiani nominis. Tum pergit : Bellum in hos barbaros dupliciter mihi placet ; quia & proderit toti orbi Christiano ; & ipse partem ejus capiam. Etenim naves, arma, equos, ærarium, & quidquid meum est, huc impendam futurus felix ipsam periculis exponendo vitam.

Ecclesiarum concordiam quantis cupiam votis, explicando non sum. Dicam solummodo, si huc nihil esset opus nisi me mactari, non modo jugulum, sed & cultrum

cultrum præberem lubens. Attamen tantum ponderis negotium magnam circum-  
 Sæcul. XIV.  
 A.C. 1350.  
 spectationem postulat. Nec enim de com-  
 modo terreno, sed de bonis coelestibus,  
 ac de fidei puritate agitur. Haud oportet  
 hac in re sibi ipsi fidere, quasi aliquis  
 solus cognitionem tam altam posset asse-  
 qui. Hinc primitus profluxit dissidium  
 Ecclesiarum. Nam si anthores dogma-  
 tum, quæ modo tuetur Ecclesia Roma-  
 na, non sibi confidissent ipsis, neque cæ-  
 teros sprevisent Præsules, sed iis liber-  
 tatem examinis reliquissent, non tam lon-  
 ge processisset malum. S. Paulus ea, quæ  
 Gal. 2. v. 2.  
 docuit, cum Apostolis communicavit, ne  
 incassum, ut ait, curreret.

Contrarius agendi modus non bene  
 vertit Imperatori Michaëli primo ex Pa-  
 læologis; immo auxit discordiam. Ego  
 ipse non credo, mihi ante decisionem  
 concilii universalis unquam persuasum  
 iri, ut me rebus addicam novis, vel a-  
 lios cogam id facere. Quibus vis inten-  
 tatur, illi mox aures claudunt, ut ne pri-  
 mum quidem verbum audiant. Vos ip-  
 sos puto de fide mea non confisuros  
 esse, si tam facile, ac sine disquisitione ad  
 doctrinam transirem vestram. Nam quæ  
 fiducia de rebus novis collocari potest in  
 illo, qui non firmiter adhæret opinionibus,  
 quas a majoribus accepit suis, & in qui-  
 bus est educatus?

p. 736.

Censeo

Sæcul. XIV.

A.C. 1250.

Censeo proinde, ni vobis aliter videatur, habendum esse concilium universale, cui adsint Orientis æque ac Occidentis Episcopi. Hoc congregato nos aberrare a vero non finet Deus: fidelis est. Porro si Asia & Europa Romano, ut olim, subjectæ forent Imperio, concilium apud nos celebrandum esset: Nunc autem id fieri nequit. Papa non potest huc venire; mihi ob bella continua res ardua factu est tam longa profectio. Itaque, si Papæ lubet, conveniemus in quendam locum maritimum inter nos medium; quo ipse Occidentis Episcopos, ego Patriarchas ac Præsules his obnoxios adducemus. Si res Papæ probatur, protinus per nuncium mihi hoc indicet, designetque locum ac tempus concilii. Nec enim parvo spatio mihi erit opus ad congregandos illuc Patriarchas ac Episcopos.

p. 737.

Nuncii hac responsione contenti acceptis muneribus imperatoriis revertentur ad Papam: cui reddita itineris sui ratione diurnum commentarium exhibebere. Clemens confestim misit, qui diceret Imperatori, consilium agendi conventus sibi videri optimum, sed convocandos esse Præsules Occidentis ad destinandum tempus ac locum. Paulo post iterum scribens orabat, ut ne concilii dilatio negligentiae suæ adscriberetur. Nihil

hil ardentius cupio, addebat, quam Ec-  
 clefiarum concordiam. Sed Italiae Prin-  
 cipes, & maximi Europæ Reges nume-  
 rosos parant exercitus, ut se mutuo inva-  
 dant: meumque patris communis offi-  
 cium postulat, ut pacem inter eos conci-  
 liem. Tum nihil antiquius mihi erit,  
 quam concilium, ac Ecclesiarum consen-  
 sio. Imperator per Joannem ex Gala-  
 tensi coenobio Constantinopoli proximo  
 Dominicanum, quem ad Papam misit, pro  
 pio ejus proposito gratias egit, rogavit-  
 que, ut in hoc persisteret. At Clemen-  
 tis obitus id extinxit.

Sæcul.XIV.  
 A.C.1350.

§. LIII.

*Isidorus moritur. Callistus Patriar-  
 cha Constantinopolitanus.*

Interim Constantinopolis alium agnove-  
 rat Patriarcham. Isidorus decubuit  
 æger ex dedecore ac mœrore ob elusas  
 prædictiones suas: somnia quippe sua  
 pro divinis habuerat monitis; & ad il-  
 la suam agendi rationem conformaverat;  
 ut solebant Palamitæ. Longo igitur  
 morbo consumptus est exeunte an. 1349:  
 postquam sedem tenuerat duobus annis,  
 septem mensibus, & quindecim diebus.  
 Palamitæ magnopere curabant, ut ei suc-  
 cederet aliquis de ipsorum secta: &  
 post

*Nic. Greg.  
 l.18. c.1.n.2.  
 Cant. l.4. c.16  
 Hist. Byz.  
 to.1. p.37.*



Sæcul. XIV.  
A.C. 1350.

post oblatos eis viros multos Imperator monachum de Monte Athone accivit Callistum nomine Palamantis amicum, quem invitis Præsulibus multis inaugurari Patriarcham jussit. Erat homo rudis, ac severus usque ad duritiam. Quapropter tres menses ab ejus consecratione non effluerant: cum Præsulum plerique illum devitarunt, Messalianum esse jurantes. Negabat pariter juratus; & actores variorum scelerum accusabat, hunc de apertis sepulchris; illum de peccato cum muliere; alium de hæresi Bogomiliorum; alium de sacerdotio infamibus vendito. Diu durabat hoc schisma: sed tandem Imperator Cantacuzenus pacis author Patriarchæ ac Episcopis persuasit, ut ignoscerent sibi mutuo; & ab accusationibus desisterent.

§. LIV.

*Mors Philippi Valesii. Joannes  
Franciæ Rex.*

Rex Philippus Valesius curriculum vitæ confecit 22 Aug. 1350, cum regnasset annos viginti duos: eique successit suus filius natu major Dux Normanniæ. Remis eodem anno die dominica 26 Sept. eum inauguravit Archiepiscopus Joannes Viennensis 14 Junii anno sequente

quente mortuus. Rex Joannes post sa-  
 cram inunctionem Avenionem venit ad  
 Papam: qui ejus rogatu Cardinales duo-  
 decim creavit die Veneris 17 Dec. hoc  
 ipso anno 1350.

Sæcul. XIV.

A. C. 1350.

Cont. Nang.

p. 814.

Marlot. to. 2.

p. 634

H. Rebd.

p. 440.

Vitæ PP.

p. 259. 891.

## §. LV.

*Novi Cardinales.*

Primus erat Ægidius Alvarus Albur-  
 nius Toletanus ab anno 1337 Archie-  
 piscopus, Cardinalis Presbyter de S. Cle-  
 mente. Secundus, Pastor Sarratinus  
 Vivariensis ex Ordine Minorum Episco-  
 pus Assisi, dein Ebredunensis Archiepis-  
 copus, Cardinalis Presbyter de SS. Mar-  
 cellino ac Petro. Tertius, Raymundus  
 Canillacensis ex diœcesi Mimatina Ca-  
 nonicus Regularis ex Ordine S. Augusti-  
 ni, Præpositus Ecclesiæ Magalonensis,  
 exinde anno 1345 Archiepiscopus Tolo-  
 sanus, ac denique Cardinalis Presbyter  
 de sancta Cruce in *Jerusalem*. Quartus,  
 Picto Montesquius Vasco diœceseos Au-  
 scitanæ, Doctor Juris Civilis, anno 1325  
 Vasatensis, an. 1334 Magalonensis per  
 Joannem XXII, & post quadriennium,  
 nempe 27 Jan. 1339 per Benedictum XII  
 Albigenfis Episcopus factus, nunc Cardi-  
 nalis Presbyter de duodecim Apostolis.

p. 767.

p. 892.

p. 868. 895.

p. 897.

*Histor. Eccles. Tom. XXIII. S s Quin-*

Sæcul. XIV.

A.C. 1350.

p. 899.

p. 900.

p. 902.

p. 903.

p. 380.

p. 905.

Felib. 1. 5.

n. 19.

Quintus, Nicolaus Capochius Nobilis Romanus, an. 1341 per Benedictum XII Ultrajectensi cathedræ impositus; & hac relicta per Clementem VI an. 1348 creatus Urgelanus Episcopus; modo Cardinalis Presbyter de S. Vitale, sed communiter dictus Cardinalis Urgelanus. Sextus, Petrus Crosius Lemovicensis, Doctor Theologiæ, Provisor domus Sorboniæ, ac Ecclesiæ Parisinæ Decanus, an. 1343 per Clementem VI designatus Episcopus Silvanectinus, & post sexennium translatus Antiffiodorum, Sorbonæ tamen Provisor assiduus, Cardinalis Presbyter de S. Martino *in Montibus*. Septimus, Pontius Villemurinus Vasco, Canonicus Regularis prima pontificii Juris laurea donatus, ab anno 1348 Apamiensis Episcopus; Cardinalis Presbyter de S. Sixto. Octavus, Guilielmus Acrifolius propè Superiofanum in diocesi Lemovicensi natus; a puero Benedictinus Belliloci ad Duranium monachus; sed brevi a Papa Clemente cognato suo, tunc Rothomagensi Archiepiscopo accersitus, eumque semper faventem habens; anno 1346 nominatus a Papa Cæsaraugustanus Archiepiscopus; & quamquam hac pro Ecclesia consecratus non erat, vocatus Cæsaraugustanus Cardinalis Presbyter de S. Maria trans Tiberim. Nonus, Ægidius Rigaldus Rauciensis ab anno 1348

1348 Dionysopolitanus Abbas, Cardinalis Presbyter de S. Praxede, misso sibi petalo rubro per Laudunensem & Parisinum Episcopos a Papa sic iussos dominica Palmarum die 10 Aprilis 1351 Lutetiæ in palatio coram Rege Joanne tectus; sed, ut creditur, eodem anno mortuus.

saecul. XIV.  
A.C. 1350.

Froiss. l. I.  
c. 154.

Decimus, Joannes Molinius natus in tractu Lemovicensi; Brivæ Curretiae Prædicatorum Ordinem ingressus; Theologiæ Doctor; anno 1344 constitutus Tolosæ Inquisitor; post triennium Magister sacri palatii; an. 1349 renunciatus Generalis Præses Ordinis; ac denique Cardinalis Presbyter de S. Sabina. Undecimus, Raynaldus Ursinus Romanus, Archidiaconus Leodiensis, Papæ Notarius, Cardinalis Diaconus de S. Adriano. Duodecimus, Joannes Elufanus, Carmanii Pro-Comitis filius, Papæ Joannis XXII nepos, Canonicus Turonensis, Summæ Sedis Notarius, Cardinalis Diaconus de S. Georgio *ad velum aureum*.

Bal. p. 906.

p. 907.

p. 908.

§. LVI.

*Humbertus Delphinus Patriarcha.*

Die sabbati Natali Christi Papa sacros ordines contulit Humberto Delphino Viennensi, cujus historia est altius repetenda. Hic Princeps mollis ac effeminatus, parum animi & constantiæ habens,

p. 258. 890.

H. Rehdorf.

p. 440.

SS 2

ali-

Sæcul. XIV. aliquamdiu effusus in intemperantiam,  
A. C. 1350. deinde militiam secutus sacro bello in

*M. Vill. l. 1. c. 26.* Turcas præfuit: sed modicam retulit lau-  
dem, ut vidimus. Ante hoc iter viduus

*Sup. §. 27. 33.* sine liberis, ac ære alieno pressus anno  
*Alb. Argent. p. 131.* 1343 suum Delphinatum Regi Philippo  
Valesio pro grandi pecuniæ summa ces-  
ferat. Reversus hanc pactionem ratam  
habuit, & Carolum Philippi nepotem,  
postea Regem in possessionem Delphina-  
tus misit. Ab eo tempore Gallorum Re-  
gis filius natu major & coronæ hæres  
proximus semper titulum Delphini gessit.

*p. 153.* Confirmatio pacti anno 1349 facta est  
*Vitæ p. 259.* Lugduni apud Dominicanos, quorum Or-  
dini nomen Humbertus dedit de consilio  
cujusdam Carthusiani. Tum Papa ob  
assiduam Regis Joannis sollicitationem il-  
lum dixit Alexandriæ Patriarcham hono-  
rarium: ac ne is contra pactionem cum  
Rege initam revenire cuperet, eum die

*H. Rebdorf. p. 440.* Christi Natali anno 1350 in sacrificio no-  
cturno Hypodiaconum, in antelucano  
Diaconum, & in ultimo Sacerdotem in-  
auguravit. Remensem dein sedem va-  
cuam per suum obitum reliquit Hugo Ar-  
cius, qui Joanni Viennensi successerat, ex  
Monacho Benedictino Floriacensi ad Li-  
gerim Ferrariensis Abbas, tum Episcopus  
Laudunensis, demum Remorum Archie-  
piscopus. Fuerat unus de tribus Præ-  
sulibus, qui Parisiis Cameracense colle-  
gium

*Marlot. l. 4. c. 14.*

Christi Natali anno 1350 in sacrificio no-  
cturno Hypodiaconum, in antelucano  
Diaconum, & in ultimo Sacerdotem in-  
auguravit. Remensem dein sedem va-  
cuam per suum obitum reliquit Hugo Ar-  
cius, qui Joanni Viennensi successerat, ex  
Monacho Benedictino Floriacensi ad Li-  
gerim Ferrariensis Abbas, tum Episcopus  
Laudunensis, demum Remorum Archie-  
piscopus. Fuerat unus de tribus Præ-  
sulibus, qui Parisiis Cameracense colle-  
gium

gium condidere: decessit autem 18 Febr. Sæcul XIV.  
 1351, scilicet 1352 ante Pascha. Exin- A.C.1351.  
 de Papa Clemens Remensis Ecclesiæ ad-  
 ministrationem perpetuam Humberto de-  
 tulit: qua per triennium gesta vitam e-  
 didit 22 Maji an. 1355.

§. LVII.

*Carceres monastici.*

Ineunte anno 1351 Rex Joannes Villa-  
 novæ prope Avenionem Rhodano in-  
 ter eas medio diversans, illic equestrem  
 pugnam ludicram edi volebat, cui tota Pa-  
 pæ Aula interfuit. Tum Rex se totum Bal. Capit.  
 dabat rebus Occitanæ, ac nemini nega- to.2. p.1088.  
 bat alloquium. Ergo 27 Jan. Stephani  
 Aldebrandi Tolofani Archiepiscopi Vica-  
 rius Generalis Præfulis hujus nomine  
 conquerebatur de cœnobiorum severitate  
 nimia monachos ob graves noxas inclu-  
 dentium carceri obscuro ac perpetuo,  
 quem vocarent *Vade in pace!* Panem so-  
 lummodo & aquam eis pro victu præberi,  
 omnemque cum Fratribus rerum omnium  
 communionem adimi: sic miseros sem-  
 per emori desperatos. Rex imperabat,  
 ut in posterum Abbates, alique monaste-  
 riorum Præsides quovis mense bis invise-  
 rent, ac solarentur inclusos, & his liceret  
 pariter bis quolibet mense Fratris alicu-  
 jus colloquium petere. Qua de re lit-  
 teras

Sæcul XIV. A.C. 1351 teras confici patentes iussit; quarum executionem commisit Præfecto Tolosano, cæterisque Occitanie Prætoribus. Fratres Minores ac Dominicani omni ope ac opera enitebantur, ut hoc mandatum revocaretur; & authoritatem Papæ implorabant. At Rex persistens in sententia eos obedire, aut cedere de regno voluit. Parebant igitur, sed ægerrime.

## §. LVIII.

*Querimonie de Religiosis Mendicantibus.*

*Cont. Nang.*  
*p. 815.* Eodem anno 1351 Cardinales multique alii Præsules cum magna Parochorum multitudine in Romana curia confluebant contra Ordines Mendicantes; cupiebant eos supprimi; & in senatu acriter contendebant hos Religiosos nec acciri ab Ecclesia, nec deligi; non verbi divini præconium, non administrationem pœnitentiæ, aut sepulturam ad eos pertinere; atque per istam ditatos esse. Cardinalis quidam hac super re sermonem fufum habebat: nec Mendicantes, qui aderant, reponebant quidquam. Sed Papa defendens eos agebat: Hi Religiosi non ita spernendi sunt, ut dicitis: vocavit eos Deus ac Ecclesia, ut ipsam adjuvent: nec propterea, quod posteriores venerint,

venerint, minus numerandi sunt inter ministros ejus: ut S. Paulus, quanquam accersitus ultimo, primos inter Apostolos locum obtinet.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1351.

Pergebat Papa conversus ad Præsules: Quid proponeretis populo, si tacerent hi Fratres? Animi modestiam commendaretis vos, qui maximam cunctos inter status superbiam & luxum in curribus ac equis, in comitatu, & supellectile, rebusque omnibus præ vobis ferre soletis? De paupertate loqueremini vos, quibus tanta tenacitas infidet atque cupiditas, ut universa per orbem beneficia vos nequam fatiarent? Sileo de castitate: Deus novit cujusque mores; & quam molliter multi sua habeant corpora viventes in deliciis. Multi vestrum oderunt Mendicantes, ac ne vita sua deprehendatur, suas eis fores præcludunt, dum scurris & infamibus benefaciunt. Non debetis in invidiam adducere, si Mendicantes ultimæ pestis tempore aliqua bona receperunt pro cura ægrorum & morientium, quos multi Parochi destituebant. Siqua ædificia exstruxere: in ornamentum templi potius, quam commodi privati gratia id fecerunt. Sed vos tenere omnia vultis, quos ad usus, Deus scit. Hæc sunt, ob quæ hos Religiosos pauperes averfimini. Denique Papa eis exponebat mala Ecclesiæ obventura, si votis ipsorum



Sæcul. XIV,  
A. C. 1351.

annueret : dicebatque, ut ambæ partes querelas suas scripto traderent : se cognitores eis egregios designaturum.

§. LIX.

*Clericorum carceres.*

to. II Conc.  
p. 1928.

**A**ntea de severitate carcerum monasticorum, ut vidimus, postmodum e contrario de facili captivitate Clericorum nocentium querelæ movebantur. Id docet Simonis Issipii Cantuariensis Archiepiscopi ad Radulphum Strafortium Episcopum Londinensem epistola, ubi ait: In ultimo senatu conquerebamur, quod profani Judices condemnent, ac perimant Clericos, quin etiam Sacerdotes. Sed, ut nobis responsum est, Clericos privilegium suum reddit audaciores ad committenda crimina: & comprehensi, vel saltem accusati convictique repetenti se Judici ecclesiastico reverenter traduntur: sed asservantur ab eo socorditer; & in carcere tam laute vivunt, ut hic eis sit deliciarum, non pœnæ locus, ac peiores exeant, quam intrarunt. Quidam etsi manifesto fontes, & cooperti criminibus non excusandis tam facile admittuntur ad purgationem canonicam, ut ad vitam priorem redeundi spem conservent. Et malum hoc exemplum est Clericis cæteris

ris

ris illecebra peccandi non sine damno pa-  
cis publicæ.

Sæcul.XIV.

A.C. 1351.

Has ob causas de consilio nostrorum Fratrum Episcoporum illo in senatu præsentium decrevimus ea, quæ sequuntur. Judices ecclesiastici nostræ provinciæ Cantuariensis curabunt Clericos ob privilegium Cleri sibi traditos congruenter statui & pro ratione hominum criminumque custodiri, ita, ut carceris pœnam sentiant. Si sint malefici manifesti, & publice infames, ita, ut eorum liberatio Ecclesiæ offensionem, ac regno periculum creare possit, diebus Mercurii, Veneris, & sabbati pane & aqua, reliquis diebus pane & cerevisia tenui, dominica etiam quibusdam oleribus reficientur: nec addetur quidpiam quacunque demum de causa. Si captivi sint innocentes, non poterunt admitti ad purgationem canonicam nisi post accuratas inquisitiones legitime suis in locis factas. Dabat 18 Febr. 1351.

§. LX.

*Privilegia Regis Franciæ.*

Sub idem tempus Papa Clemens Regi Franciæ Joanni, ac Reginae Joannæ secundæ conjugii ejus diversas fecit gratias

*Spicil.to.4.*

*p.274.&c.*

*c.26.*

S s 5

tias

Sæcul. XIV. tias expressas in epistolis suis. Per prio-  
 A. C. 1351. rem 29 Apr. 1351 datam permittit, ut  
 Du Tillet. in locis interdictis pro se suoque comita-  
 p. 442. n. 27. tu rem agi divinam curent. Per alte-  
 ram concedit, ut sibi deligant idoneum  
 conscientiæ arbitrum, qui possit ipsos ab-  
 solvere etiam a casibus, in quibus con-  
 sulenda esset Summa Sedes. Eidem Vi-  
 ro tribuit plures alias potestates, quæ  
 n. 51. cerni queunt in his litteris. Denique  
 cunctis Clericis regiæ domus convictori-  
 bus largitur copiam recitandi preces ho-  
 rarias ex more Parisiensis Ecclesiæ.

R. 179. 1344. Abhinc annos quinque idem Papa  
 n. 62. Regi Joanni, tum Normanniæ Duci de-  
 derat facultatem tangendi res sacras pie-  
 tatis causa, excepto Christi corpore. Et  
 qui hoc tibi porriget Sacerdos, addit,  
 pretiosum quoque sanguinem tibi præ-  
 bere poterit, quamdiu vives, etiam quan-  
 do Rex eris: nec obstet ulla sanctio vel  
 consuetudo contraria. Dabat 21 Junii  
 Id. 1345. an. 1344: & anno proximo eandem gra-  
 n. 32. tiam impertiit Odoni Burgundiæ Duci.  
 Commendat autem utrique cautionem;  
 & vult Sacerdotem illum tam secreto &  
 tam providenter agere, ut nihil sanctissi-  
 mi Sanguinis extra vas sacrum frustra  
 effluat, & nulla inde offensio nascatur.

Ufus

Ufus sacrae communionis sub utra-<sup>sæcul. XIV.</sup>  
 que specie communis fuerat usque ad i-<sup>A. C. 1351.</sup>  
 nitium sæculi XII, & amplius. At se-<sup>Mabil. Mas,</sup>  
 quente seculo Ecclesiae Latinæ mos erat <sup>Ital. to. 3.</sup>  
 prope universalis, ut illam sub panis specie <sup>. 51.</sup>  
 solum acciperent laici; ut diserte dicit <sup>Id. Acta S. S.</sup>  
 Alexander Alensis: nec tamen videmus <sup>ser. 3. p. 6.</sup>  
 sanctionem aut legem aliquam hujus mu- <sup>præf. n. 75.</sup>  
 tationis, quæ sensim introducta fuit.

## §. LXI.

*Quæstio de Christi sanguine.*

**H**oc anno inter Fratres Minores ac Do-  
 minicanos mota est quæstio de san-  
 guine Christi. Anniversaria orbis redem-<sup>Vad. n. 13.</sup>  
 pti die 15 Apr. Franciscus Bailius Fra-  
 trum Minorum Barcinonensium Præses  
 publice in templo sui cœnobii e suggestu  
 dixit Christi sanguinem in cruciatibus ef-  
 fusum fuisse separatum a divinitate, ideo-  
 que cultu patriæ non adorandum in tri-  
 duo mortis. Nicolaus Roselius Domini-<sup>Vid. Bal. vit.</sup>  
 canus tum per Arragoniam Inquisitor id <sup>to. 1. p. 906.</sup>  
 perscripsit ad Joannem Molinium antea  
 Magistrum Ordinis Generalem, tum Car-  
 dinalem de S. Sabina: qui Papæ rem  
 indicavit. Is post solemnem conventum <sup>Emer. di-</sup>  
 Inquisitori per patentis litteras præcepit, <sup>rect. p. 262.</sup>  
 ut hoc dogma tanquam falsum ac hære-  
 sine

Sæcul. XIV. A.C. 1351. sim olens damnaret solemniter, ac recan-  
 tandum publice curaret: quod factum  
 est in cathedrali templo Barcinonensi.  
 SS. Petrus ac Joannes, cum irent ad se-  
 pulchrum Domini, agitare quæstionem  
 hanc potuissent, ni fuissent occupati co-  
 gitationibus magis seriis: sed post Chri-  
 sti reditum ad vitam nihil illam prodesse  
 puto, nisi agatur de quibusdam reliquiis  
 existimatis, quales Henricus III  
 Anglorum Rex accepit  
 anno 1247.

Sup. l. 72.  
 §. 66.

FINIS TOMI XXIII.



INDEX